Annus XVI. December 1902. N. 12

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE MISSA IN TRIDUO BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS OCTIDUO.

(Privilegia, quae in Triduo vel Octiduo etc. d. an. 1901).

Occasione solemnioris Tridui recentius Romae celebrati pro B. Antonio Grassi, plures ortae sunt quaestiones super Missarum, quae dicuntur, natura. Et primo dubitatur utrum dictae Missae cum relativo Festo, sive per Triduum pro Beatificatione, sive per Octiduum pro Canonizatione, sint nec ne praeceptivae. Nam Instructio nuper emanata a S. R. C. agit de Triduo vel Octiduo *celebrando*, ut praeceptivae videantur Missae atque ipsum Festum: quamvis dicatur postea: eaedem *Missae celebrari permittuntur*. Insuper votivae dicendae non videntur; sive quia in supernotato Triduo plures Celebrantes die dominico, Dominicae Evangelium, non S. Ioannis, in fine dixerunt: sive quia, uti docet A Carpo, Communitas Festum celebrans, prima saltem die Tridui,

ius habet recitandi etiam relativum officium, quocum Missae conveniunt, imo in ipso Beatificationis Brevi cum officio et Missis **Festum** de more agendum permittitur. Hinc sequi videtur incertam esse Instructionem super Praefatione, de qua dicit tantum *Serventur Rubricae.* Nec defuerunt qui censura notarunt quae circa Nonam et Vesperas in Pontificalibus, quae haberi queunt, Instructio docet; sive quia illam, uti et Vesperas, non valere pro satisfactione Instructio declarat, cum tamen etiam ratione unius socii quemque posse totum suum officium mutare nemo ambigat. *Quaeritur:*

1. Quomodo verba Instructionis super Missis atque integro Triduo vel Octiduo intelligenda sint, circa praeceptivi vel facultativi naturam, et num vere votivae, ac quibus de rationibus, sint illae dicendae?

2. Quaenam ex Rubricis certae habeantur normae pro Praefatione in dictis Missis, ut ex Instructionis verbis: *Serventur Rubricae,* quamvis incertitudinem exulare dicenda sit?

3. Quid de Nona, contra Horam Tertiam, sit iudicandum, et qua ratione intelligenda Instructionis verba, circa non satisfactionem pro officio proprii Calendarii, ut censoria virgula, ad hoc et reliqua quod pertinet, ut in casu, iure confutetur?

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. CLETI PICCINELLI, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 9 Aprilis 1902, acta epitome per R.mum P. ELIAM M. COCCIA, Ord. Carmelit. Calceat.

I. Quomodo verba Instructionis super Missis atque integro Triduo vel Octiduo intelligenda sint, circa praeceptivi vel facultativi naturam, et num vere votivae, ac quibus de rationibus, sint illae dicendae?

In pontificio Privilegio, de quo est sermo, aequiparantur rationes, quae valent pro Triduo post Beatificationem, iis quae valent pro Octiduo post Canonizationem. Et revera, titulus, qui praefato documento praemittitur, ita sonat: " Privilegia quae in Triduo vel Octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel a Canonizatione, per Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis, a Summo Pontifice concedi solent. „ Et primo intenduntur Missae: " In solemniis sive triduanis pro recenter Beatificatis, sive octiduanis pro recenter Canonizatis, quae celebrari permittuntur, Missae omnes, sive solemnes, sive privatae, inter Votivas recensendae sunt. „ Hae porro Missae non sunt praeceptivae, sed facultativae, quod ex ipsis verbis privilegii eruitur, dum dicit, quae celebrari *permittuntur*. Sed operis pretium est, fusiori calamo rem declarare, et primo distinctionem ponimus inter Missas *votivas* et *praeceptivas*.

Missa votiva ea est quam Rubricae vere non praecipiunt, et est extra ordinem Officii: ita sane loquitur Rubrica legem statuens generalem: " Missa dicitur quotidie secundum ordinem Officii (ante *Rubr. Gen. Missal*). „ Missa votiva celebrari potest de quocumque Sancto, non vero de Beato, *per se*, nec de Tempore, nec de Mysteriis, exceptis Missis de

SS.ma Trinitate, de Spiritu Sancto et SS.mo Sacramento. nec non Missa de SS.mo Corde Iesu. Potest tamen privatim poni intentio venerandi certum Mysterium, Missam votivam celebrando, quae magis naturae illius appropinquat, quod recolere quis intendit: v. gr. Missam votivam de Cruce, pro Mysterio *Quinque Vulnerum D. N. I. Ch.* Sed hoc diximus esse de regula generali, quatenus Sacerdos vel Ecclesia, peculiari non gaudeat privilegio. Missa votiva de Sanctis generaliter de Communi assumitur, dummodo non extet speciale privilegium, ut supra. Et lex fundamentalis est, quod Missa votiva, ut talis reipsa sit habenda, nullimode ex praecepto imponatur, saltem *per se,* neque *per se* conveniat cum Officio. Liquet autem appellativum Missae datum, scilicet *votivae,* ad *votum* Sacerdotis referendum esse, Missam nempe celebrari iuxta votum Sacerdotis: nunc vero votum quod *per se* ab aliqua derivaret obligatione, aut praecepto quocumque, nullimode postet amplius dici votum, intrinsecam quippe amisisset rationem eiusmodi qualitatis. Hinc logice deducitur, neque *per se* Missam votivam concordare debere cum Officio, iuxta quod, e contrario, uti aiunt Rubricae, esse debet Missa ordinaria et praeceptiva. Huiusmodi est, diximus, lex generalis, namque *per accidens* potest et Missa votiva a Rubrica praescribi, itemque per accidens cum Officio convenire. Ita ex. gr. Missa B. M. V. in Sabbato potest quodam sub respectu veluti praeceptiva considerari ac convenire cum Officio, manens tamen semper *per se* Missa votiva, quidquid demum sit de disputationibus et de contraria opinione quorumdam auctorum; namque pars praeceptiva, quod dictam Missam respicit, *per accidens* imponitur. Et re vera, cum nequeant Ecclesiae Collegiatae Missam Officio recitato conformem omittere, quando hoc idem Officium est de S. Maria in Sabbato, necessario consequitur, quod et Missa votiva de S. Maria eadem die, casu praeceptiva sit; verumtamen huiusmodi erit tantum Missa conventualis, dum nemo

ex reliquo Clero, tenebitur illam celebrare, ritu favente. Si igitur haec Missa dicenda foret praeceptiva, uti volunt nonnulli auctores, omnes Sacerdotes in eadem Ecclesia celebrantes, tenerentur illam celebrare. Ita eadem Missa est quoque iuxta ordinem Officii *per accidens*, quia non ideo celebratur in Collegiata ut conveniat, cum Officio, sed accidit ut Officium casu cum illa conveniat, quae res valde inter se differunt, imo totaliter opponuntur. Hoc autem quod dicitur de Missa votiva B. Mariae, item dicendum est de aliis Missis votivis, quae interdum in Collegiatis celebrantur, quae Missae cum Officio diei conveniunt. Idem insuper dicendum de Missis votivis, quae respondent Officiis votivis a SS.mo D. N. Leone Pp. XIII per hebdomadam concessis.

Sed Privilegium, de quo nobis sermo, clarissime ait, quod Missas respicit in Triduo post Beatificationem, et in Octiduo post Canonizationem: " quae celebrari permittuntur „; et in casu, applicanda est regula generalis, circa significationem *votivi* et *praeceptivi*, quoad praefatas Missas. Et votivi sensus qui praedictis Missis tribuendus est, excludit, ut vidimus, praeceptum Rubricae et convenientiam cum Officio. Atque ideo moderandae erunt in omnibus, iuxta normas, quae ceterarum Missarum votivarum sunt propriae, dummodo speciale non adsit privilegium.

Missa dici potest: 1° de Festo, cuius obiectum est Dominus, vel Ss.ma Virgo Maria, vel Mysterium, vel Sanctus; 2° de Tempore, scilicet de Dominica aut Feria. Missa de Festo vocatur festiva, Missa de Dominica, dominicalis, et de Feria, ferialis, sub qua appellatione venit et Missa Vigiliae. Missae de Tempore, nempe dominicales et feriales nequeunt, generice loquendo, inter voti vasadnumerari, namque haberi non potest adaequata similitudo inter tempora variae liturgiae, et unicam verborum significationem. Si tamen Missae de Tempore respectivis recitentur diebus, et sint extra ordi-

nem Officii possunt dici votivae, cum nullimode tunc praecepto aliquo imponantur.

Votivae praeterea simul et festivae optime dici possunt Missae in Triduo Beatificatorum et in Octiduo Canonizatorum, namque admittitur hodie huius duplicis characteris simultaneus concursus: atque ita, Missae tum festivae tum de Tempore non opponuntur votivis, prout nec praeceptivis. Manet tantummodo oppositio inter Missas votivas et praeceptivas. Si igitur, ut in nostro casu, Missa est votiva de Festo, legitime appellabitur *votiva occurrens* et *festiva*, si autem est de Tempore, erit itidem dicenda *votiva occurrens*, sed et *ferialis*. Unde, quod nostrum attingit casum, Missae de quibus quaestio, sunt votivae, eo quod a Rubrica non imponuntur, et sunt festivae, eo quod pro obiecto habent quemdam ex Sanctis aut Beatis.

Neque obstat titulus Privilegii " ... in Triduo vel Octiduo solemniter *celebrando* „ quasi diceret *ex praecepto* habendo, quia ea verba nec praeceptum per se includunt, nec sensus cum sequentibus instructionis initio, verbis cohaereret: " Missae quae celebrari *permittuntur*. „

Aperte docet Privilegium, in fine Missarum in praedictis Triduo vel Octiduo semper esse dicendum Initium Evangelii S. Ioannis, *iuxta Rubricas*. Quod si in Ecclesia S. Mariae in Vallicella in Triduo post Beatificationem Ven. Antonii Grassi, plures Celebrantes in Dominica, huius legerunt Evangelium, pro consueto alio S. Ioannis, nihil aliud dici potest, nisi Celebrantes eosdem erravisse, cum Missae, hisce in casibus, sint votivae, et ex Rubricis " in Missis votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium nisi S. Ioannis. „

Praeterea Summus Pontifex concedit, ut in Missis eadem occasione Celebrandis, ob peculiarem earum celebritatem, omnibus et singulis addantur *Gloria* et *Credo*. Unica tamen Oratio dicenda erit tantummodo in Missa solemni, dum in aliis privatim celebrandis non erunt omittendae occurrentes omnes

commemorationes, exclusis Collectis ab ordinariis imperatis. Declaratur ulterius: " Missam solemnem impediunt tantum Duplicia I classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae, quae praefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurente festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In duplicibus tamen primae classis addatur Orationi diei unica commemoratio de Beato vel Sancto sub unica conclusione: in duplicibus autem secundae classis Orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis Missis, praeter Orationem de Beato vel Sancto, omnes quas ritus exigit commemorationes occurrentes, Collectis, ut supra, exclusis. Similiter in reliquis privilegiatis diebus Missae sint iuxta ritum diei, commemoratione de Beato vel Sancto semper suo loco addita. „

Quaedam obiicitur difficultas contra qualitatem votivarum quoad Missas in Triduo vel Octiduo, de quibus in casu, ex Instructione desumpta, quae a cl.mo A Carpo traditur, in suo Caeremoniali, et in qua docetur, Communitatem Festum celebrantem, saltem primo Tridui (vel Octidui) die, *ius habere* etiam relativum Officium recitandi, quocum Missae conveniunt. Ad quae reponi debet, etiam Officium in casu esse votivum in toto sensu vocis, ita ut nullimode Communitatem obliget. Imo, etiam si Communitas vellet integrum recitare, nec satisfacere valeret obligationi recitandi quotidianum Officium. Ex quo patet, haec Officia non esse iis comparanda, quae a Communitatibus vel a singulis recitantur ex indulto, ad satisfaciendum oneri incumbenti.

Quoad relationes Missarum votivarum cum Officio, haec sunt observanda: secunda Oratio in Missis votivis privatis esse debet conformis Officio diei currentis, nec potest unquam omitti. Et sane in Rubrica generali Missalis *(Tit. IX,*

n. 15) legitur: " In Missis votivis B. Mariae secunda oratio dicitur de Officio illius diei, „ et paulo ante: " In aliis autem (votivis privatis) dicuntur plures (Orationes) ut in festis simplicibus. „ Et cl.mus De Herdt subiungit, semper esse dicendas tres Orationes in Missis votivis etiam tempore Passionis, prout in semiduplicibus eiusdem temporis, etiam si Missae solemniter canantur; verum dummodo non sint *pro re gravi*, quibus comparande sunt Missae solemnes, de quibus in casu, ut dicitur in Privilegio: " Missa tamen solemnis dicatur cum unica Oratione: reliquae vero privatae cum omnibus Commemorationibus occurentibus, sed Collectis exclusis. „

II. Quaenam ex Rubricis certae habeantur normae pro Praefatione in dictis Missis, ut ex Instructionis verbis: *Serventur Rubricae*, quaevis incertitudo exulare dicendum sit?

Principium generale, quoad Praefationem est, quod semper dicenda est magis propria Missae, quae celebratur. Nunquam recitari valet Praefatio propria Missae currentis quamvis de illa fiat Commemoratio in Missa votiva, neque de Trinitate, si Missa votiva, aliquam ob causam celebratur in Dominica. Si Missa votiva celebratur *infra octavam*, et talis Missa Praefatione gaudeat propria, dicenda est Praefatio Missae votivae Si quis in Sabbato Officium recitavit B. Mariae V., et celebrare vult Missam votivam de aliquo Sancto, neque Hymnum angelicum dicit neque Praefationem propriam de B. V. Maria, sed communem, idque ex Decreto S. R. Congregationis, diei 2 Decembris 1684, n. **1743**-*3073*, ad 6. In Missis etiam votivis solemnibus *pro re gravi* Praefatio dicenda est iuxta Rubricam generalem (Constit. Clementis XI, *29 Septembris 1714*: S. R. C. *30 Iunii 1896*, Decr. gen. De Missis votivis, *II 3*), quae Rubrica est sub Tit. XII, n. 4 ita: " ut infra quamcumque Octavam etiam privilegiatam, Praefatio dicatur Missae votivae propria, si habeatur, cum *Communicantes* de octava. Die vero dominica, Praefatio, si Missa Vo-

tiva propriam non habeat, dicatur de Dominica, non de Festo. Item Praefatio dicenda est in cantu solemni et Organa pulsari possunt. „ Ita pariter dicenda est Praefatio communis, si occurrat celebrari Missam votivam Praefatione propria carente, die quo Officium fit de Sancto in Missa habente Praefationem propriam, aut de Trinitate, si id incidat in Dominica. Quatenus autem occurrat aliqua Octava, et Missa votiva propria Praefatione caret, Praefatio erit de Octava, et quidem, pluribus Octavis occurrentibus, Praefatio de digniori. Si vero non sit dicenda magis propria, sumenda est illa de Tempore tunc occurrente. Missae igitur in Triduo post Beatificationem aut in Octiduo post Canonizationem, cum sint vere votivae, quoad Praefationem subiiciuntur iisdem praefatis regulis.

III. Quid de Nona, contra Horam Tertiam, sit iudicandum, et qua ratione intelligenda Instructionis verba circa non satisfactionem pro Officio proprii Calendarii, ut censoria virgula, ad hoc et reliqua quod pertinet, ut in casu, iure confutetur?

Superius diximus, recitari posse integrum Officium de Beato vel Sancto, per Triduum vel Octiduum; sed semper *per accidens* Missa cum Officio conveniet; ideoque Missae regentur legibus ordinariis Rubricarum; hinc concludi facile valet, ante Missam solemnem, *Nonam,* non vero *Tertiam* esse dicendam; quod confirmatur Decreto S. R. C. n. **3922,** IV, 1: " Missae votivae solemnes semper cantentur post *Nonam,* ad formam Rubricarum. „ Privilegium autem dicit: " Si Pontificalia Missarum ad Thronum fiant., haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora *Nona.* „ Subiungit Privilegium: " quae tamen Hora minor de Beato vel Sancto semper erit, substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit, „ hoc autem ob characterem votivi quem habet. Sicut non satisfacit obligationi recitandi Officium diei currentis, qui Officium recitavit Vigi-

liarum pridie Dedicationis Ecclesiae (S. R. C., 16 Sept. 1881, n. **3532**-*5827*, ad II et III).

Nihil demum valere dicenda est ratio in casus expositione adducta, favore dicentium Officium votivum, quod recitans cum socio, huic se conformare valeat, haec namque opinio probe intelligenda est. Videlicet hoc sensu, ut quis, licet in recitando officio stare suo calendario teneatur, potest nihilominus, ratione socii, ab illo aliquoties recedere. Cui opinioni nullo pacto contradicit Decretum S. R. Congregationis, diei 27 Ianuarii 1899, in *Marianopolitana*, n. **4011**, ad III, quod est huius tenoris: " An satisfacit obligationi suae Clericus in Ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adiungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum canenti vel recitanti? „ Resp.: " Generaliter negative. „ Siquidem hoc responsnm respicit tandum generale principium, de quo supra, unde ait: *Generaliter* negative: non vero tangit casus particulares. Ceterum lex in casu clara est; et cum pars dicti offici sit votiva, satisfactioni per se saltem, est impar.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio, v. n. XI, p. 664)

e) *...In die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia...* Ergo tam natalitia quam dies quasi-natalitia est vere dies propria alicuius Festi. De his vide quae supra diximus in nota 349 § 6 et 7.

f) *...Ceteris paribus illud celebratur, istud transfertur...* Scilicet Festum antiquius praevalet novo, quia iam possidet

locum, et nulla ratio adest cur inde amoveatur, cetera enim sunt paria.

g) *Ceteris non paribus...* Tunc, quod maioris est ritus praevalet, sit illud Festum novum vel antiquius. Ritus enim superior est prima ratio praevalentiae, in occurrentiae legibus.

h) *In paritate ritus* etc. Regula hic traditur ut in Rubricis novissime reformatis, et primarium antefertur secundario, vide notam 408. Hoc in loco Decretum citat titulum X n. 1 et XI n. 2; in primo agitur de regulis occurrentiae, in altero de ordine dignitatis Festorum.

i) *Si ex duobus Festis unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud praefertur...* Quia, licet tam natalitia quam dies quasi-natalitia sit dies vere *propria* nihilominus natale alicuius Sancti potius consideratur ab Ecclesia. Hinc ex. gr. Ferrariae die 19 Iulii agitur Festum S. Symmachi Papae et reponitur S. Vincentius a Paulo, non quia illud sit Festum *proprium* et istud *generale,* probavimus enim in nota 411 quae sint Festa vere propria; sed quia S. Symmacus est in sua natalitia die, et S. Vincentius in quasi-natatitia, obiit enim die 27 Septembris.

l) *Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus etc.* Cum iisdem iuribus gaudeant dies natalitia, et quasi-natalitia quando haec sit superior, vel ratione ritus, aut primarii, aut proprii, certo praevalet.

m)... *unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata...* Vidimus loco citato, quid sit dies *assignata, non propria,* aut *tamquam propria.* Si ergo Sanctus antiquus ritus duplicis etiam classici, celebratum sit hucusque extra suam diem, uti assignatus, et novus, licet ritus semiduplicis, celebrandus sit in die natalitia, vel quasi-natalitia, huic procul dubio ille, licet nobilior, locum cedet. En casus recentissimus. Placentiae agitur die XVII Ianuarii Festum S. Sabini Episcopi duplex 2 classis; in nonnullis ta-

men illius Dioecesis ecclesiis, S. Antonio Ab. dicatis, officium S. Sabini agebatur in assignata die XI Februarii. Anno 1890, quando hac die celebrandum indixit Leo PP. XIII Festum SS. VII Fundatorum, licet hoc sit duplex minus, eam diem suam occupavit, et officium S. Sabini die XIV assignatum fuit. Ratio est, quia Sanctus, licet nobiliori ritu honoratus, quando iam non est in die sua propria, parum refert si ulterius reponatur, est enim semper extra suam diem; alter vero, licet minoris ritus, occupat tamen diem suam vel natalitiam, vel quasi-natalitiam, ergo maiore iure huic devincitur.

n) Si ambo sint in die assignata... Hoc in casu nihil refert si novum officium, licet nobilius, non praeferatur antiquo. Iam enim utrumque est extra propriam diem, et nimium esset incommodum variare ordinem assignatorum in Calendario.

o) Cum alicuius Ecclesiae Calendarium reformari contingat etc. Optima haec dispositio cuique apparebit, in nova enim Calendarii reformatione, legitimus ordo assignatorum instituendus erit, iuxta Rubricas, ac proinde singula officia assignata ita disponenda sunt, ut solemniora et nobiliora primas sedes vacuas occupent, quam minus nobilia.

p) Pro die natalitia Sanctorum illa est intelligenda etc. Necessario, uti diximus, hanc declarationem emisit S. R. C. circa Festa Sanctorum, et sic bene determinata manet definitio diei natalitiae et quasi-natalitiae. Hoc eo magis, quia alias, die nempe 28 Novembris 1682, decretum S. R. C. emiserat, in antiqua collectione sub. n. 3007 ait, in quo declarabatur: " Dies natalitii in omnes habendi sunt qui licet vere non sint dies obitus, tamen in calendario uti propria sedes et cuicumque festivitati alicuius sancti decreto apostolico assignati sunt. „ Hodie vero non amplius *natalitii* huiusmodi dies, sed *quasi-natalitii* dicendi sunt, ideoque citatum Decretum in nova editione expunctum est. Loco ci-

tato nos haec ipsa diximus arguendo, nunc supremum tribunal rem statuit et declaravit, et sic sensus particularis scriptoris evanescit. Idem dicatur de notione hic data de die *assignata* et de die *translata*.

q) Quae iuxta notas occurrentiae leges ab Ordinario inscribitur. Prout in principio huius nostrae Expositionis iam diximus (*nota 3*, §. 8), post S. Pii V. bullam *Quod a nobis* et S. R. C. Decretum 13 Ianuarii 1631 *Urbis et Orbis* n. 555, hodie nihil aliud possunt Episcopi in sacra Liturgia nisi haec duo: 1. Subditis suis imponere *sub praecepto* officia, quae ab Apostolica sede alicubi indulgentur sine praecepto; 2 Assignationem, seu repositionem agere iuxta Rubricas cuiuslibet officii sua die perpetuo impediti. Primum probatur ex S. R. C. Decreto 23 Maii 1835 n. 4746 ad 10 antiquae collectionis, secundum ex alio Decreto 22 Augusti 1744 n. 4161, quae in nova pariter deest.

Cum itaque haec duo Decreta expuncta sint, dubitare quis poterat utrum loci Ordinarius adhuc iis iuribus potiatur in Liturgia. Quoad primum, dubium manet, quoad alterum, iam dubium exulat, quia in hoc Decreto, quod exponimus, aperte dicitur, *illam intelligendam esse pro die assignata, quae prima post propriam libera fixe in calendario iuxta notas occurrentiae leges* ab Ordinario *inscribitur*.

Quod plane cohaeret cum citato Decreto 22 Augusti 1744, in quo dicitur: " Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet Festo a sua die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies propria et fixa Festi translati; iustificatis tamen apud R.mum Episcopum loci Ordinarium translatorum numero et causis dierumque assignatorum ordine et qualitate. "

Ex littera tamen et ex spiritu huiusmodi Decreti n. 3811, eruitur, posse Episcopum non solum ordinare assignationem alicuius officii, quando novum inscribitur in Calendario Festum, sed etiam novam sui dioecesani calendarii perpetui

reformationem seu *reordinationem* (parcant puriores latinistae) peragere.

Bene attendant lectores; non dicimus posse Episcopum suum Calendarium perpetuum novis officiis ditare. sed dicimus illud reformare posse. Puta casum: Episcopus dioecesis N. Calendarium habet quod numquam ordinatum fuit, ita ut ob multa Festa a Pio IX et Leone XIII inducta, assignationes translatorum inconcinne inscribantur in eo. Episcopus, hodie novam editionem proprii dioecesani parat, et ideo suum Calendarium ordinat iuxta Rubricas reformatas, ut officia assignata in sua quaque sede rite apponantur.

Imo hanc novae editionis proprii Dioecesis nactus occasionem, aliquot nova officia impetrat a S. Sede, et suis diebus inscribit. Haec omnia, Episcopus agens, suo iure utitur, dummodo adamussim normas in Rubricis et in praedicto Decreto n. 3811 observandas curet.

(412)... *et quae duplicia minoris solemnitatis sunt*,. Haec vox *minoris solemnitatis*, accipienda est in sensu officii secundarii, inferioris dignitatis, mobilis et minus proprii, respectu primarii, dignioris, fixi, et magis proprii, quae conditiones sunt causae praeferentiae.

(413)... *si transferri valeant, transferantur, aliter de eis quemadmodum de semiduplici fiat commemoratio, aut penitus omittantur iuxta superius dicta.* Si transferri valeant, duplicia nempe I et II classis, ac maiora et minora quoque Doctoris Ecclesiae; reliqua duplicia minora et semiduplicia, commemorantur, aut omittuntur, uti in notis 334, 339 et 373. Si vero agatur de impedimento perpetuo, tunc non *commemorantur* neque *omittuntur*, sed reponuntur in prima die libera. Vide notas 382 et 402.

TEXTUS.

7. Si plura Festa duplicia ex iis quae transferri possunt transferenda sint (414), quod est magis

solemne semper prius transferatur et prius celebretur (415): alioquin si sint aequalia (416) unum ante aliud transferatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus (417); quod etiam servabitur in Festis duplicibus minoribus et semiduplicibus perpetuo impeditis (418).

(414) *Si plura Festa duplicia ex iis quae transferri possunt transferenda sint.* Quia hoc loco Rubrica agebat de impedimentis tantum accidentalibus, verbum facit de solis *duplicibus quae transferri possunt,* exclusis duplicibus minoribus non Doctoris Ecclesiae et semiduplicibus. Cum vero regula haec necessario valeat etiam pro impedimentis perpetuis, in fine huius § in ultima emendatione de his quoque loquitur, uti par est, Rubrica. *Si transferenda sint,* intellige si aliquo anno transferenda, aut *perpetuo* reponenda aut assignanda, prout supra melius explicavimus.

(415) *Quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur.* Nempe, ordinator Calendarii alicuius anni, sibi in parte describat omnia officia transferenda illo anno, et eadem disponat, assignando primas dies liberas ad officia *magis solemnia,* nempe praestantiora, iuxta iam traditas regulas. Ita enim ordinanda erunt: 1. Officia ritus superioris; 2. In paritate ritus officia primaria; 3. In paritate qualitatis primarii aut secundarii, officia digniora, ratione personae; 4. Ceteris paribus officia propria.

(416) *Alioquin si sint aequalia...* Aequalia scilicet in omnibus, quoad ritum, classem, dignitatem, etc.

(417)... *unum ante aliud transferatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus.* Ordo enim in casu iam habetur a dispositione dierum in quibus Festa transferenda im-

pediuntur; ita ut officium Ianuarii prius transferatur quam officium Februarii; sicque officium impeditum ex. gr. die 9 Februarii celebrabitur ante aliud, quod translatum est a die 10 eiusdem mensis.

In dispositione translatorum alicuius anni, non est danda praeferentia officiis *propriis*, sed collocatis prius officiis dignioribus, ut supra, reliqua eiusdem ritus et nobilitatis, nullo habitu respectu ad proprietatem, ordinatim disponuntur prout erant celebranda.

Celebre enim Decretum in *Einsiedlen.* d. d. 5 Maii 1736, n. 4044, antiquae collectionis, quod in nova relatum fuit sub n. 2319, expunctis tamen 33 dubiis, haec habebat ad dubium 5 *de translatione.* " Pro translatione Festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius descripto in Calendario, nullo habito respectu, quod Officium translatum sit Ecclesiae Universalis, Nationis, Dioecesis, Ordinis, et Ecclesiae particularis. „ Haec dispositio adhuc vim habet.

Contingere tamen potest, ut ob multitudinem translatorum praesertim in quibusdam Regularium calendariis, dies intra annum non sufficiant pro omnium eorum translatione; compertum est enim ex Decreto S. R. C. 30 Augusti 1755 n. 2438, annum pro transferendis officiis impeditis esse civilem qui incipit die 1 Ianuarii et desinit die 31 Decembris, et ea anticipari non posse ex alio Decreto 27 Augusti 1836 n. 2746. Hoc in casu regula certa habetur in Decreto 19 Septembris 1750 n. 2410, in quo S. R. C. edixit: " Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos; sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos eos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, cum IX lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus propriis 2. Nocturni ad modum unius. „ Attamen etsi die 11 Martii 1837, n. 4810 antiquae collectionis, eadem S. C. decreverat, agendam esse commemorationem de officio,

quod supersit, " in omnibus Festis et duplicibus tum I tum II classis, excepto ultimo Triduo Maioris Hebdomadae, Festis Paschae et Pentecostes cum duobus sequentibus Feriis tantum, „ nunc, hoc Decreto expuncto, tenet dispositio Rubricae reformatae (Tit. IX, n. 7), ex qua *in omnibus duplicibus primae classis,* prohibetur fieri quaecumque commemoratio officii ad ritum simplicem redacti, exceptis Dominicis occurrentibus, diebus octavis, et diebus infra octavis privilegiatis, prout iam explicavimus. Hinc si aliquod duplex Doctoris Ecclesiae, vel duplex maius impeditum a duplici I classis, nequeat transferri quia desunt dies liberi, eo anno penitus omittendum est. Vide notam 381.

Regula huius Rubricae exceptionem patitur quando agitur de Festo classico habente octavam. Siquidem S. R. C. die 13 Martii 1804 (in antiqua collectione sub n. 4493) edixit: " Festum gaudens octava si transferri contingat, et dies non impedita occurrat priusquam Octava finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis Festis, etiam maioris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava, vel post eam transferuntur. „

Aliis verbis, si Festum habens octavam impeditur in sua die, transferri debet, infra suam octavam, etsi alia habeantur officia prius translata, et maioris ritus vel dignitatis: de quo vide notam 390.

(418) *Quod etiam servabitur in Festis duplicibus minoribus et semiduplicibus perpetuo impeditis.* Scilicet, duplicia et semiduplicia perpetuo impedita, reponi debent iuxta eamdem legem, ita ut primae sedes vacuae occupentur perpetuo a duplicibus, et postea a semiduplicibus iuxta ordinem dierum in quibus celebranda erant.

(Continuabitur).

Doct. Petrus Piacenza.

CONSULTATIO LITURGICA

Utrum Missa votiva Ss. Cordis Iesu fieri queat in Dedicatione SS. Salvatoris et Basilicarum Ss. Petri et Pauli.

Ratio dubitandi haec est. In Decreto pontificio 22 Iunii 1889 (in collect. S. R. C. sub n 3712) conceditur dicta Missa votiva in prima Fer. VI cuiusque mensis, *dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini* etc. Cum vero hodie, ex alio S. R. C. Decreto 4 Februarii 1896, n. 3881, Dedicatio Ecclesiae declarata fuerit *Festum Domini*, quaeritur: an, ubi Dedicatio Ss. Salvatoris et Basilicarum Ss. Petri et Pauli translata sit, ita ut occurrat in prima Feria VI mensis, vel ubi in eadem Feria occurrat Dedicatio Cathedralis pro Regularibus, ritu II classis, aut octava Dedicationis Ecclesiae cuiuscumque, praedicta Missa votiva censenda sit prohibita?

Resp. Distinguenda sunt *Festa Domini* in duas classes; alia in honorem *Domini* **Dei Unius** et **Trini**, alia in honorem *Domini* **Iesu Christi.** Dedicatio Ecclesiae utique pro sua dignitate hodie vocatur et est *Festum Domini*, seu Domino Deo Uni Trinoque dicatum, quapropter licet expressis verbis citatum Decretum n. 3881 non dicat, nihilominus implicite subintelligitur, Missam votivam de Ss. Corde Iesu prohibitam esse in iis *Festis Domini*, quae idem obiectum habeant personale, et distinctum, nempe in Festis quae *Domino nostro Iesu Christo* sunt dicata.

Hinc, quando prima Feria VI mensis occurrit in Festis ex. gr. Transfigurationis, Ss. Redemptoris, Fugae in Aegyptum, Inventionis in medio doctorum, Pretiosissimi Sanguinis

et Mysteriorum Passionis (nec non, ut credimus, Sacrae Familiae) Missa votiva de S Corde celebrari non poterit, quia occurrit in *Festis Domini* illis, quae subintelliguntur in Decreto, nempe quae habent idem obiectum distinctum. Quando vero occurrat in Dedicatione ut supra, vel in alio Festo quod habeat pro obiecto vel *Spiritum Sanctum*, vel *Augustissimam Trinitatem*, et ritus permittat, eadem Missa votiva recitari bene potest.

Neque valet oppositio, quod in Ss. Trinitate iam comprehenditur Secunda Persona, ideoque etiam in huiusmodi Festis idem obiectum habetur quod recolitur in Missa votiva S. Cordis; quia licet ratione consubstantialitatis et eiusdem divinae naturae, revera *Filius Dei* honoretur quando Trinitatem augustissimam recolimus, nihilominus tunc veneramur Filium, uti *Deum*, et non uti *Deum et hominem*. Hinc in locis in quibus Festum Ss. Trinitatis celebratur cum octava, in ea agitur commemoratio octavae Corporis Christi, quae non fieret, si Ecclesia considerasset Festa Ss. Trinitatis et Ss. Corporis Christi idem obiectum habere. Item si infra octavam Corporis Christi vel Ascensionis Domini occurrat Dedicatio Ecclesiae, de octava Dedicationis non omittitur commemorantur; ergo Dedicatio, licet festum Domini, aliud et distinctum obiectum habet a festis Domini Iesu Christi propriis.

Concludendum est ergo, Missam votivam sacratissimi Cordis Iesu toto iure celebrari posse in *Festis Domini*, quae Deum Unum et Trinum habent obiectum, ut est Dedicatio Ecclesiae.

D. P. Piacenza.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Colle in Thuscia.* 1. Quando infra aliquam octavam, quae privilegiata non sit, aliquod semiduplex Sanctorum occurrit, de hoc certe agendum est, iuxta Decreta. At si dictum semiduplex sit *ad libitum,* de eo fieri non potest:

a) Quia semiduplex *praeceptivum* de infra octavam occurrens, praeferendum est semiduplici *ad libitum de Sancto.*

b) Quia ipsa lex positiva, seu Decretum, quod Breviario praemittitur, prohibet, quominus officium *ad libitum* fiat infra quamcumque octavam.

2. S. Martialis titulo Apostoli licet in loco gaudeat, et de hoc non sit discutiendum, eius tamen festum patronale pertinet ad secundam Festorum categoriam: quae Festa, vi Rubricarum, nullo modo praeferri possunt Festis, quae ad primam categoriam pertinent. Atqui Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli pertinet ad primam categoriam; ergo Festum S. Martialis, etsi Apostoli, non potest illi praeferri, sed cedere necessario debet. Inferes: tam infra octavam quam in die octava, Festum praevalens est semper Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum S. Martialis commemorari debet. Sententia cl. A Carpo dicentis: ex eo quod Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli in occurrentia nulli Festo cedat, non sequitur, idem aliis omnibus praevalere tam infra octavam, quam in die octava, falsa est, saltem impraesenti, et amplius sustineri nequit.

II. *Pro Dioecesi C. in Thuscia.* Quaeritur num liceat choralibus, dum officium recitant, vel Missae assistunt, uti linteo, vel alterius generis obiecto (vulgo *ventaglio*) ad

sudorem impediendum vel removendum? *Resp.* Certe, si adest necessitas abstergendi sudoris, nulla admitti potest in lintei usu inordinatio. Manipulus enim, testante Durando (*lib. 2, c. 9, n. 16*) ex Amalario, portabatur *in manu sinistra... ut eo detergamus sudorem;* igitur si in ipso ministerio sacro id nefas non erat, neque in choro nunc est prohibendus usus linteoli. Verum aliter dicendum est, si agatur de vento excitando seu per linteum, seu, et a fortiori, per supradictum parvum flabellum, ut sudor impediatur, vel exsiccetur. Hoc namque gravitati satis repugnat, decorique ecclesiastico, maxime in sacris functionibus. Non enim chorus haberi potest tamquam conversationis aula, aut locus solatii, ubi tempus in rebus teritur vel colloquiis nullius momenti. Chorus est locus publicae orationis, in quo Deus adorandus, laudandus, exorandus est cum omni applicatione mentis, et motu convenientiori corporis, quibus proinde praefatus agendi modus nullo pacto respondet. Quid ceterum fideles, id videntes aut rescientes, iudicare possent, nisi Ecclesiasticos velut in debiles feminas se transformare, quibus conversantibus illi morem gerunt dum opus divinum agunt? Et Deum et seipsos maiori aestimatione et honore chorales dignos iudicent, ut devote et viriliter agant dum proprio tam sublimi funguntur munere. Adde, nonnullis in dioecesibus, huiusmodi usum explicite ex Statutis esse damnatum.

III. *Pro Tuderto.* 1. Procul dubio in Ecclesia dicata S. Christophoro M. die 25 Iulii occurrenti, officium S. Iacobi Apostoli in prima diem libera *perpetuo* reponendum est, et non in *primo semiduplici.* In hoc enim solummodo transferri licet quando in toto anno defuerint sedes liberae ut in Decreto S. R. C. 2 Dec. 1891 n. 3756. Idem dicendum de Patrocinio B. M. V. quod occurrit Dominica ultima Iulii sub ritu dupl. 2 cl., in Ecclesia, in qua eàdem Dominica agendum est Anniversarium Dedicationis. Quia, cum pro dioecesi Tudertina concessum sit transferri *Officia fixa Dominicis diebus,* certo

certius Patrocinium B. M. V. transferendum erit in primam diem liberam illius anni, iuxta Rubricas. Quod tamen intelligendum non est pro Commemoratione Ss. Pontificum et Ss. Reliquiarum si ritu duplici minori recolantur. Quia, si nulla Dominica libera inveniatur ab octavâ Ss. App. Petri et Pauli usque ad Adventum pro prima, et impedita sit Dominica IV Octobris pro secunda, illo anno, redigenda sunt ad ritum simplicem. Festum Commemorationis Ss. Pontificum in I Dominica post octavam Ss. Apostolorum erit in casu commemorandum.

2. In ista dioecesi, laudabilius solitum est recitare preces ad B. M. V. vel ad Sanctos ante eorum imagines vel reliquias, ac postea, exposito Ss. Sacramento in Altari, canitur *Tantum ergo* et, recitata Oratione *Deus qui nobis,* impertitur benedictio et reponitur Ss. Eucharistia. Utinam haec consuetudo iugiter maneret immuata! non autem sic ut alicubi fieri coeptum est, dicendo orationes triduanas vel novendiales ad Sancto scoram Ss.mo exposito! In casu autem proposito et laudato, Collectae ab Ordinario imperatae dicendae sunt post Orationes quae subsequuntur preces ad B. M. V. vel ad Sanctos, ita ut eaedem Collectae adiungi nequeant orationi Ss. Sacramenti, nisi in casu, quo nulla alia Oratio antea dicta sit In Festo autem et per octavam Corporis Christi eius orationi *Deus, qui nobis* numquam alia Collecta addi potest (S. R. C. 23 Septembris 1836 n. 4815 antiquae coll. ad 6).

IV. *Pro Fontanis Gallicis.* Tota ratio exqua numero. Octobris elapsi pagg. 640-41 docuimus praeferri debere Festum S. Ioachim Festo S. Bernardi, ubi recolitur ritu 2. classis, in hoc sita est, quia S. Ioachim ius habet *ad feriationem;* ad hoc enim in Dominica affixum est. Igitur licet istic Festum S. Bernardi revera sit *magis proprium,* si tamen celebretur ritu 2. classis et sine feriatione, Festo S. Ioachim cedere debet. Qualitas enim *maioris proprietatis* valet quando omnia sint paria. Excipe casum, si S. Bernardus olim cum feriatione

celebratus fuisset, et nunc, in foro externo inter Festa suppressa transiit, quia hoc in casu, cum utrumque Festum in pari esset conditione, ratio maioris proprietatis praevaleret.

V. *Pro Wichen in Hollandia.* In postrema Caeremonialis Episcoporum typica editione, cap. 28, n. 13, ubi legitur: ***In Officiis Defunctorum organa non pulsantur: in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus***; quisnam est sensus vocis " *musicae*? „

Facilis responsio. In antiqua editione ita hic locus se habebat: *In Missis et Officiis Defunctorum nec organa, nec musica, quam figuratam vocant utimur, sed cantu firmo.* Unde habes sensum illius vocis " musicae „ in nova editione adhibitae, nempe quam musicam figuratam dicunt, non planum cantum gregorianum.

Igitur mitigata est hodie antiqua disciplina, quoad usum cantus firmi huiusmodi, qui omnino et exclusive adhibendus erat autera in signum moestitiae tempore Passionis (*l. 2, c. 20, n. 4, antiq. edit.*) et in funeribus. Catalanus ad locum nostrum (*l. 1, c. 28, n. 13*), in commentario suo, praeveniendo tempora, scribit: " Sed haec disciplina de non adhibendis organis et musica in exequiis Defunctorum vix hodie servatur, vel ab ipsis infimae plebis hominibus, qui tametsi aere alieno gravati, et non habeant quid manducent, volunt nihilominus Defunctorum suorum exequias cum pompa celebrari, et Missam cum organo et musica, et cum aliis etiam alicubi instrumentis cani. „

Quae consuetudo, pene ubique inducta, ab Ecclesia, pro sua benignitate, non in omnibus damnata est, et in nova editione Caeremonialis partim acceptata, ita tamen ut si musica figurata adhibeatur, organo comitante, *hoc sileat cum silet cantus.* Scilicet, organa non pulsentur, ut fit in Missis aliis solemnibus, sed tantummodo cantum comitentur et sustineant. Quod conceditur in Missis tantum Defunctorum, de

tempore Passionis, Quadragesimae et Adventus, non autem in eorum Officiis.

VI. *Pro Sancto Michaele in Gallia.* Procul dubio prohibitum est celebrare missam de die, *praesente corpore* defuncti, quando haec dies missam de requie excludit.

In casu, praesente corpore, persolvi possunt absolutiones solitae cum cantu, et postea, remoto cadavere, ac etiam lectica seu tumulo, Missa de die legatur. Vide S. R. C. Decreta 10 Ianuarii 1852, n. 2994, et 9 Iunii 1853, n. 3014 ad 1.

DE RUBRICARUM OBLIGATIONE

AD QUAMDAM EPHEMERIDEM ECCLESIASTICAM

Praeclara quaedam Ephemeris Ecclesiastica, quae multis ab hinc annis in Italia studia clericorum promovet et alit, si quid minus perfectum *in re liturgica* habet, aliquod damnum apud clericos procul dubio gignit ob meritam laudem qua iure ubique gaudet. Nostrum ergo erit, sicut alias iam fecimus, censoria virgula, quae leguntur in fasciculo 30 Septembris elapsi circa Rubricas notare.

Ea namque praeclara Ephemeris ad quaesitum: " Utrum Episcopus in pastorali visitatione, ob temporis penuriam, omittere possit *ritus liturgicos* (la parte liturgica), in Pontificali Romano praescriptos? „ respondit: " Semper quidem sacra visitatio perfici debet ritu in Pontificali praescripto. „ " Sed — additur — ritus iste estne praeceptivus, an solum directivus? *Praeceptivi* sunt, stricto rigore, solummodo ritus Missae *(ex Bulla S. Pii V Missali praeposita)*, et ii qui administrationem Sacramentorum respiciunt *(ex*

Trid. Sess. 7. de Sac. in gen. can. 13), insuper plurima Decreta praeceptiva S. Rit. Cong. (v. De Herdt S. Lit. prax. Vol. I, n. 2). Hoc posito, damnare non sciremus Episcopum qui, aliqua rationabili causa, caeremonias liturgicas in sacra visitatione omittat, maxime si non agatur de prima visitatione; quae caeremoniae non numerantur inter praeceptivas. „

Ita egregia Ephemeris. Videamus autem an iure responsum eius sustineri possit. Ad quam solutionem sic proceditur:

1. **Videtur,** quod sint *praeceptivae* tantummodo Rubricae quae Missae celebrationem et administrationem Sacramentorum respiciunt, non vero Rubricae Breviarii, Ritualis, Caeremonialis et Pontificalis Romani, Concilium enim Tridentinum *(sess. 7, de Sacram. c. 13)* habet: *Si quis dixerit approbatos Ecclesiae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a Ministris omitti pro lubito, aut in novos alios mutari posse: anathema sit.* Atqui hic non loquitur Concilium de Officio divino et de ceteris ritibus qui in aliis libris continentur, sed tantum de illis qui ad Sacramenta attinent, ideoque de Missa in qua Sacramentum Eucharistiae conficitur; ergo Rubricae Missalis obligant, non vero Breviarii, etc.

2. **Praeterea,** S. Alphonsus *(Exam. Ordin. n. 112)* docet: " Nos sequimur sententiam Quarti, Merati et Tournely, qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam, omnes esse praeceptivas et obligare iuxta gravitatem materiae; „ et citans Bullam S. Pii V dein prosequitur: " Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures Doctores, aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam et Orationes ante et post Missam. „ Ergo aliorum librorum Rubricae non obligant.

3. **Praeterea,** E.mus Cardinalis D'Annibale in sua celebratissima *Summulc* (*Vol. III, n. 383 nota 5*) habet: " Sed hodie quidam omnes (Rubricas) praeceptivas esse docent; nec forsan immerito, stricto iure: sed non sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt, „ et citat § 184 suorum Prolegomenon; ubi docet: " Huic (interpretationi legis ex consuetudine) proxima est constans omnium pene Doctorum interpretatio „ et in fine notae 7 addit: " Sed nec ea mutare regulariter consultum est, quae a maiori parte Theologorum recepta sunt, quippe exhibent quasi sensum communem Theologorum. „ Atqui omnes Theologi docent Rubricas extra Missam non esse praeceptivas, ergo...

4. **Praeterea,** E.mus Cardinalis Vives y Tuto, pietate ac scientia venerandus, in sua Theologia Morali *(c. 14, n. 584)* docet: " Rubricae: 1. Aliae sunt praeceptivae, aliae directivae, primae obligant graviter vel leviter. 2. Omnes Rubricae intra Missam sunt praeceptivae. 3. Rubricae extra Missam, v. gr. praeparatio et gratiarum actio, sunt tantum directivae. „ Ergo Rubricae quae in aliis liturgicis libris inveniuntur non sunt praeceptivae, non enim sunt intra Missam.

Sed contra est, quod decrevit S. Rit. Congregatio die 10 Ianuarii 1852 n. 2993 ad 4. Exquisita: *Num praeceptivas praedictorum librorum* (nempe Breviarii, Pontificalis, Caeremonialis Episcoporum, Martyrologii et Ritualis Romani) *regulas, tolerante aut permittente Episcopo, Canonici aliive Sacerdotes, possint, illaesa conscientia, infringere aut omittere, sicque Rev. Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?* respondit: *Negative; et amplius.*

Respondeo dicendum: Rubricae cuiuslibet libri liturgici, nihil aliud sunt nisi *leges quibus externus Dei cultus in Ecclesia Catholica ordinatur.* Hoc docent et concedunt omnes bonae notae scriptores.

Cf. Gavantum *(p. 1, tit. 1)*, Cavalerium *(T. 5, c. 2, n. 1)*, Ferraris *(Bibl.* ad voc. *Rubrica)*. Bissus autem *(Ierurgia ad Rubr.)* scribit: " *Leges* tam Missalis quam Breviarii dicuntur Rubricae. „ Quarti *(Sect. 1, n. 1)*, definitionem explicans dicit: " Dicitur primo *regula*, in quo convenit cum *legibus* et aliis ordinationibus et solent esse firmae quousque revocentur. „ De Herdt *(p. 1, n. 1)* clarius habet: " Rubricae sunt *regulae*, iuxta quas Officium divinum persolvi, Missae Sacrificium celebrari et Sacramenta administrari debent. „ Et paulo superius: " *Leges* in liturgia servandae dicuntur Rubricae. „ Prae ceteris autem Benedictus XIV audiatur qui (*de sacr. Mis.* III, 13, 3), scribit: *Ipsa communis omnium sententia docet Rubricas esse leges praeceptivas*. Nec valet refragari loco citato loqui Pontificem solum de Missalis Rubricis, quia hoc etiam admisso, de Breviarii Rubricis aliorumque librorum idem prorsus locutus esset, si subiecta materia id postulasset. Quod certe fecit in suis litteris d. d. 25 Martii 1752 *Quamvis ardenti*, de nova Ritua is, Caeremonialis et Pontificalis Romani editione, in quibus Bullas praedecessorum suorum confirmans,omnes liturgicos libros a se probatos et emendatos, *iuxta* ab ipso *praescripta*, publici iuris fieri mandavit.

Si ergo Rubricae sunt leges, facile consequitur eas omnino obligantes esse, quia, teste S. Thoma (*I, 2. quaest. 90, art. 1*), *lex* dicitur a *ligando*, ac propterea vis obligandi in notione legis necessario includitur; sub gravi vel sub levi, nunc parum refert.

Sanctus doctor Alphonsus (*lib. 6, n. 399*) docet Rubricas Missalis esse praeceptivas; " *nam in Bulla S. Pii V sic dicitur: Districte praecipientes ut Missam iuxta normam in Missali praescriptam legant.* „ Sed Romani Pontifices eadem vel similia verba protulerunt in Bullis quibus approbaverunt alios liturgicos libros.

Quoad Breviarium, idem S. Pius V in Bulla *Quod a nobis*, d. d. 9 Iulii 1568 aperte decernit: *Iubemus igitur, omnes et*

singulos.... Ecclesiarum praelatos, ut, omissis quae sic suppressimus et abolevimus..... Breviarium hoc in suis quisque Ecclesiis introducant. Atque, quasi hoc parum esset, insuper dicit: *Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse... neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.* Stricte ergo et sub gravi obligatorium est Breviarium aeque ac Missale Romanum, ut omnes docent (*Vide* Bouix *De iure lib.* 4, c. 2, n. 2). Siquidem non satis intelligitur quomodo *sub gravi* obligatorius esse possit usus unius libri, quando regulae quae in eo inveniuntur sint tantummodo *directivae* et non *praeceptivae.*

Idem dic de Rituali Romano: in Bulla Pauli V, *Apostolicae Sedis* d. d. 17 Iunii 1614 legitur: *Hortamur... ut in posterum Ecclesiae Romanae filii... constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit* inviolate *observent.* Neque dicas Paulum V hac voce usum esse: *hortamur,* ideoque non esse praeceptivas Ritualis Rubricas; quia, ut omnes in hac re docti scriptores concedunt, Pontifex noluit Ritualia particularium Ecclesiarum omnino abolere, nihilominus Rubricas tam illorum quam Romani Ritualis *inviolate* observari mandavit. Ad rem E.mus Card. Gennari, cuius sapientia per omnes ecclesias claresci t, (*Consultazioni p. 3. cons. 2*) docet: " Quod Rubricae Ritualis maximi aestimandae sint, fit manifestum ex brevi Pauli V, in quo dicitur in eo contineri ritus, *qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent.* Si *debent* observari, ergo non licet cuique aliis diversis ritibus uti. „ Lege S. R. C. Decreta sub numm. 822, 826, 1322 ad 7, 1643 ad 7, 2932, 3654, 3697 ad 9, et 3901 ad 1, novae Collectionis, et in eis passim has formulas invenies: *standum Rituali, servandum Rituale, fieri ut in Rituali praescribitur.* Sit tamen pro omni-

bus Decr. n. 3276 d. d. 31 Aug. 1872, in quo legitur: *Ad Ritualis Romani observantiam Ordinarius tenetur obligare omnes Sacerdotes, non obstante contraria consuetudine.* Ergo et Ritualis Rubricae, quando aliquid fieri praescribunt, *praeceptivae* sunt.

Idem est de *Caeremoniali* in rebus ubi liberum quemque non relinquit iuxta locorum mores, quia tam Clemens VIII in sua Bulla *Cum novissime* d. d. 14 Iulii 1600, quam Innocentius X, in Bulla *Etsi alios* d. d. 30 Iulii 1650 et Benedictus XIII in Bulla *Licet alias* d. d. 7 Martii 1727, hisce verbis utuntur: *Perpetuo observandum esse praecipimus;* et, *in virtute sanctae obedientiae* addit Benedictus XIII. Item pro Caeremoniali, lege S. R. C. Decreta sub numm. 9, 152, 432, 524, 950, 991, 1612, 1795 ad 4 et 2195 ad 3, et maxime illud sub n. 1666 d. d. 19 Aprilis 1681, in quo habetur: *servanda esse ad unguem praescripta in Caeremoniali.... in quibuscumque sacris ritibus et caeremoniis... sublato quolibet alio diverso, seu contrario usu, seu consuetudine ab eiusdem Caeremonialis dispositione et forma praescripta difformibus.*

Nunc vero ad *Pontificale Romanum* quod attinet, Clemens VIII, in sua Bulla *Ex quo in Ecclesia,* d. d. 10 Februarii 1696, postquam omnia et singula Pontificalia, usque tunc edita, suppressa declaraverit, dicit:... *et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus et locis etiam exemptis, si quae sunt,* recipi et observari praecipimus.... *et mandamus* ut.... *sacras caeremonias et ritus in* eodem Pontificali *praescriptos iuxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus, exercere et observare* (omnes et singuli) teneantur. Similiter legas S. R. C. Decreta, sub nn. 9, 426 et 1182 in quibus semper dicitur *servandum esse Pontificale Romanum.* Ergo et eius Rubricae, quando aliquid agendum esse dicunt, praeceptivae sunt.

Nihilominus supponamus Rubricas extra Missam, nempe

ex. gr. Breviarii, non esse *praeceptivas*, sed *directivas* tantum. Hodie occurrit Dominica Palmarum; Rubrica mihi clare indicat et *dirigit* quale Officium et quo ordine recitare debeam, at ego: 1. relicto Breviario Romano, utor Breviario Ambrosiano; 2. Matutinum lego de Dominica Paschatis; 3. horam Nonam prorsus omitto; 4. in Vesperis, quas dico, praepono canticum *Magnificat*, dein lego hymnum et orationem, postea quinque psalmos, ac denique omnes simul antiphonas, relictis commemorationibus occurrentibus. Licebitne mihi sic Officium persolvere pro lubito meo? Si sententia Ephemeridis Ecclesiasticae vera esset, procul dubio non peccarem, Rubricae enim Breviarii, Missae ritus non respiciunt, *sunt extra* Missam, et ideo *directivae* sunt tantum, non *praeceptivae*. Attamen omnes theologi, nullo excepto, uti nobis concedere debet praeclara Ephemeris, unanimiter docent non licere Officium ut supra, persolvere. Etenim: 1. mutare Breviarium; 2. mutare Officium diei cum aliis; 3. omittere et unam tantum horam minorem; 4. invertere partes quibus singulae horae constant, nemo potest, sine peccato plus vel minus gravi. Audiamus pro omnibus clarissimum Cardinalem D'Annibale (*Summula Lib. II, Tract. II, Tit. I*), qui quoad 1^{m}, nempe usum Breviarii, docet (n. 148): " Ut quis satisfaciat, Officium recitandum est ex eo Breviario quo quisque legitime utitur. „ Quoad 2^{m} docet (*ibid.*) " Qui consulto aliud (officium) pro alio recitat non satisfacit, velut in die Palmarum officium Paschatis, „ et ad rem citat damnatam propositionem 34 Alexandri VII. Quoad 3^{um} docet (n. 147): " At grave (*peccatum admittit*), nisi modicum (quoad totum) omiserit; modicum autem intelligitur, quod minus est hora parva, ut puta Nona. „ Quoad 4^{m} docet (n. 150): " Officium recitandum esse..... *suo ordine;* hoc duo continet, ne horae intervertantur, neve horae partes, sed utrumque est leve. „ Leve, sed tamen peccatum, ergo et ordo partium cadit sub praecepto licet non gravi. Et alibi (*ib. n. 148 nota 19*): " Is non satisfacit, qui eius (officii) partes adeo perturbat ut vix species officii divini

supersit. „ et citat Suares 11. 7. Atqui Rubricas Breviarii negligens partes officii perturbat, ergo.

Nunc vero, quid aliud praescribunt Rubricae Breviarii nisi Breviario Romano uti, et non alio mihi non proprio? Officium talis diei, et non aliud recitare? nihil omittere, et multo minus integram horam? partes quibus horae singulae constant suo ordine recitare? ergo si res a Rubricis praescriptae cadunt sub praecepto, quid aliud est hoc, nisi quod Rubricae sunt *praeceptivae?*

Adde, Ephemeride Ecclesiastica quoque fatente, Decreta S. Rit. Congregationis esse *praeceptiva,* quia ex communi sententia huic Congregationi a Sixto V institutore eiusmodi transmissa est auctoritas, ut eius responsa in toto orbe vim legis obtineant (Bouix, *De Curia Romana p. III, sect. 2, c. 2*), et E.mus Card. Gennari, *Consultazioni p. 3, cons. 1*). Insuper iuxta Decretum S. R. C. 22 Maii 1846 n. 2916 a Pio Pp. IX specialiter adprobatum (uti legitur in antiqua collectione n. 5051): *Decreta S. R. C. formiter edita, atque in authentica editione inserta, eamdem prorsus habent auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent.* Et clarissimus Cardinalis Vives (*ib. c. 3, n. 85*), iure meritoque docet: " Decreta et Declarationes S. C. Rituum ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt (Pius IX). Obligant etiam in similibus. (Communissima). „

Atqui, omnia Decreta, paucissimis exceptis, nihil aliud sunt nisi declarationes vel confirmationes Rubricarum, tam Missalis, quam Breviarii, Ritualis, Caeremonialis ac Pontificalis Romani; ergo si praeceptiva sunt Decreta huiusmodi, praeceptivae non erunt Rubricae, quae nihil aliud sunt nisi textus codicis venerandi, quem S. R. C. responsa identidem interpretantur et exponunt? Quis unquam audivit *glossam* vim legis habere, non vero *textum glossatum?*

Quapropter en gravissimum argumentum, quod dicunt *ab absurdis.* S. Rit. Congregatio post breve SS. D. N. Leo-

nis XIII *Nullo umquam* d. d. 28 Iulii 1882 quater expurgavit, et reformavit Rubricas Breviarii Romani, atque revisit et emendavit illas quoque Ritualis, Caeremonialis et Pontificalis, ut taceamus de Missalis. Circa Rubricas Breviarii res etiam minimas pertractavit, ex. gr. de ordine commemorationum in Vesperis, de qualitate primarii et secundarii in festis etc.; attamen si Rubricae huiusmodi non obligarent, et quisque pro lubito suo eas negligere posset, ad quid valerent studia istius sacri Tribunalis?

Pergat itaque S. R. Congregatio ad summum in pertractando de *Rubricis intra Missam* et *in Sacramentorum administratione*, hae namque, iuxta Ephemeridem Ecclesiasticam praeceptivae sunt; sed desinat deinceps a terendo tempore in aliorum librorum Rubricis, quae, definiente illa Ephemeride, *non pertinent ad categoriam praeceptivarum!*

Quod certe non admittit S. R. C., quia suo Decreto d. d. 17 Septembris 1822, a Pio Pp. VII specialiter adprobato (*n. 2621 ad 1*), praescribit: " *Loci Ordinarius stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae* (nota generale verbum Rubricae) *et S. R. C. Decreta rite observentur.* „ Non ergo tantum Rubricas Missalis sed et aliorum quoque librorum, si rite observari debent, esse praeceptivas S. R. C. tenet.

Id melius probatur ex alio Decreto 4 Aprilis 1879, n. 3491, in quo S. R. C. concludit: " *in reliquis autem Caeremonialis Episcoporum* AC RUBRICAE INVIOLABILITER SERVENTUR „ nec non ex eo quod supra retulinus, 10 Ianuarii 1852, n. 2993, ubi apertissime sacrum Tribunal declarat: *non posse, illaesa conscientia, praeceptivas regulas Breviarii, Pontificalis, Caeremonialis et Ritualis infringere aut omittere.*

Hinc quoque est quod Romani Pontifices, Clemens et Urbanus VIII praesertim, stricte praescripserunt nullum librum liturgicum typis edi posse, nisi prius Ordinarius concordare recognoverit cum typicis editionibus (Cf. S. R. C. Decretum

d. d. 26 Aprilis 1834 n. 2716). Quae concordantia adamussim adesse debet non tantum quoad textum, sed etiam quoad Rubricas, ut patet, et in praxi fieri conspicimus (1).

Porro si Rubricae extra Missam, illae scilicet quae inveniuntur in Breviario, Pontificali etc. praeceptivae non essent, parum interesset earum concordantia cum typicis editionibus.

Item, thesis nostra comprobatur ex alio Decreto S. R. C. d. d. 13 Iunii 1899 n. 4031 ad 5. Interrogata enim: *Sacerdos, qui probabilius iudicat errare Calendarium* (intellige Ordinem dioecesanum ad Officium Missamque celebrandam) *tenetur ne eidem Calendario stare, an proprio inhaerere iudicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum*, respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Scilicet, ut patet, **tenetur stare Calendario**; attende ad verbum *tenetur*. Atqui Calendarium dioecesanum nihil aliud est nisi libellus, in quo Rubricae Breviarii et Missalis dietim applicantur, et aliquando etiam Caeremonialis, ergo si stricte quisque eum sequi tenetur, non tantum Missalis, ut vult *Ephemeris*, sed et Breviarii et Caeremonialis Rubricae sunt praeceptivae. Cf. E.mum Gennari (*Consultazioni p. 3. cons. 19*) qui ad rem docet: " Standum est Calendario quandocumque certum omnino non est contrarium. „ Et paulo ante: " Calendarium dioecesanum conforme esse debet in omnibus Calendario Romano, *Rubricis Officii* et Missalis, *et Decretis S. R. C. salvis variandis cuique dioecesi ab eadem S. Congregatione concessis;* „ ergo...

Nos quidem non latet in omnibus libris liturgicis nonnullas inveniri Rubricas quae aliquid pro lubito faciendum proponunt. Ita, ex. gr., in Missali habetur, datis tem-

(1) En ex. gr. quomodo adprobantur a Ratisbonensi Episcopo libri liturgici qui eduntur a cl. Fr. Pustet: " *Quum... de consonantia certiores facti simus, quumque relatum nobis sit, novam istam editionem typicae editioni novissimisque Decretis ac* Rubricis originalibus *adamussim respondere... nos approbamus* etc.

poribus, *tertia oratio ad libitum,* in Missis Defunctorum *Epistolae* et *Evangelii posita in una possunt dici in alia;* et Sequentia *Dies irae* in quotidiana privata est *ad libitum* Sacerdotis. In Processione Palmarum antiphonae *vel omnes, vel aliquae tantum* dici possunt; in Missis privatis duplicibus II classis Collectae dicuntur *ad libitum.* Item in Breviario habemus Festa S. Ganuti et S. Remigii Episc. *ad libitum,* et hodie Officia votiva; in Rubricis generalibus (*T. 26, n. 3*) habetur: *Legitur 9 lectio homiliae Dominicae vel Feriae, scilicet vel prima lectio de homilia, vel tres simul in unam lectionem coniunctae;* hae revera sunt Rubricae non praeceptivae, cum lubito meo relinquunt quid agere debeam. Saepius in Rituali, Caeremoniali et Pontificali Romano inter Rubricas decretorias, ex. gr. *dicit, fit, sedet, surgunt omnes, hic ordo servabitur,* etc., aliae inveniuntur quae decretoria non sunt, ex. gr. (Caer. *I, 5, 4*). vestis caeremoniarii, *ubi commode fieri possit,* sit violacea; (*I. 12, 1*) *decet* in Festis splendidior ornatus; (*ib. 4*) si Ecclesia habuerit porticum, *congruum erit* pannis... exornari (*I. 28, 1*). In Festis... *potest* organum adhiberi; (*II. 2, 6,*) dum psalmi recitantur sedere *poterunt...* (*II, 8, 45*). Si in Ecclesia fuerint ambones in illis *poterit* cantare Evangelium (*Pontif. Rom. De consecr. Episc.*). Si vero Officium legitur, *poterit... capere sandalia;* (*ib. in fine Altar. consecr.*) Pontifex... si celebrare *voluerit;* (*ib. ordo ad visit. paroch.*). Deinde, *vel* in medio Missae, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui, etc.

Itaque si habentur huiusmodi Rubricae, quae non obligant, quia libertatem relinquunt, ideoque neque nos eas praeceptivas esse dicimus; nihilominus *asserere in libris liturgicis Rubricas nonnisi directivas* esse, toto coelo differt ab eo quod passim a theologis docemur: *Rubricae dividuntur in praeceptivas et directivas; praeceptivae sunt Rubricae intra Missam, et obligant; directivae extra eam et non obligant.*

gant. Unde non pauci scriptores in hanc sententiam facile venerunt, praeceptivas esse tantummodo Missalis Rubricas, et non illas quae habentur in aliis liturgicis libris, quia non sunt intra Missam.

Reapse, require inter omnes moralistas, quid sentiant de vi obligandi Rubricarum, et omnes, non dissimulamus, loquuntur de Missalis Rubricis, de aliorum librorum nihil dicunt. Nihilominus quando pertractant de Officio divino, licet explicite de Rubricis eius taceant, aequipollenter tamen, loquentes de forma et de ordine horarum, plane admittunt Breviarium quoque, scilicet Rubricas eius, vim legis habere.

Iam ab anno 1887, ut videre est in *Ephemeridibus Liturgicis* (Vol. 1. pag. 144-146), hanc sententiam primi propugnavimus, nempe nihil amplius valere distinctionem inter Rubricas praeceptivas et directivas, modo quo hucusque intellexerunt doctores; et nobis adstipulatus est venerabilis vir G. F. I. Bouvry tunc Vicarius Generalis dioecesis Tornacensis, auctor acceptissimus Commentarii in Rubricis, qui in his iisdem *Ephemeridibus* (*ib. pag. 146*), scripsit: " de ea distinctione hodie tractari non debet nisi modo historico. „

Et sane, nescimus quomodo *directivis* Rubricis negata fuerit vis obligandi. Scimus quidem hanc vocem apud moralistas ortum habuisse, ut distinguerentur Rubricae *intra et extra Missam;* sed, re probe perpensa, videtur haec distinctio fondamentum non habere.

Si magis placet dicatur potius Rubricas esse praeceptivas simul et directivas; praeceptivae sunt quidem, quia *praecipiunt* quomodo *dirigantur* actus externi cultus; directivae, quia *dirigunt* actus eosdem, qui *praecipiuntur.* Etenim notio *directionis* in lege plane includitur. Ad rem cl. Santi (*Prael. iur. can. I, n. 27, 6*) " Notio legis secum fert notionem medii practici et propriam efficaciam habentis: quo medio utitur legislator ut subditos in officio contineat, atque

ad bonum comune dirigat. Quibus positis, si legislator ius habet leges intimandi, subditi habebunt relativam obligationem legibus obtemperandi. Haec virtus legis, qua subditi eam tenentur implere, non ob aliam rationem, nisi quia legitime imposita est, dicitur *vis directiva legis.* „

Dicamus ergo, omnes Rubricas, quae in libris liturgicis continentur, praeceptivas et directivas esse, sub gravi vel sub levi, vel, si vis, etiam sub levissimo, exceptis illis quae aperte libertatem relinquunt. Id postulat obsequium quo sacrorum ministri revereri debent regulas, quibus Deus honoratur, a patribus nostris et praesertim a Christi Vicario traditas; id exigit bonus ordo et communis aedificatio populorum, ut sicut una fides nos coniungit, ita et unus ritus in Romana Ecclesia fratres nos esse demonstret.

Ad primum ergo respondeo dicendum. Concilium Tridentinum, loco citato, revera loqui voluisse solummodo de ritibus quae Sacramentorum administrationem respiciunt, in ea enim Sessione de Sacramentis tantum agit. Quod si Theologi hunc canonem citant ad comprobandum ritus in celebratione Missae, ac proinde Rubricas Missalis, obligare sub praecepto, hoc bene inferre possunt, cum actio Missae non sit nisi confectio SS.mi Sacramenti.

Porro licet in canone citato Tridentinum Concilium nihil decernat de ritibus et regulis aliorum librorum, quia de iis locus non erat loquendi, nihilominus quoad Breviarium alibi satis declaravit mentem suam. Siquidem in fine ultimae Sessionis, nempe XXV, antequam patres dimitterentur " audiens operi compilationis indicis librorum prohibitorum, a delegatis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum multitudinem commode posse a S. Synodo diiudicari „ rem remittit Summo Pontifici " ut eius iudicio et auctoritate terminetur et evulgetur. Idemque de Catechismo, de Missali et *Breviario* fieri mandat. „

Ex quo manifestum fit, Concilium, sicut pro indice librorum prohibitorum, ita et pro Missali et pro Breviario novas leges ferre intendisse, sed ob temporis penuriam, rem totam Pontifici demandasse. Itaque cum S. Pius V, Missale et Breviarium cum respectivis Rubricis reformavit, edidit et universae Ecclesiae imposuit, nihil aliud fecit nisi Decreta Tridentini, ut in sua Bulla *Quod a nobis* aperte declarat, exequi, et in primis circa Breviarium, quod, ut notum est inscribitur: *Ex Decreto SS. Concilii Tridentini restitutum.* Quam ob rem, cum Pius V Rubricis Breviarii, ut probavimus, vim tribuit obligandi, id egit sua quidem auctoritate, sed vota obsecundans et Decreta exequens Concilii Tridentini. Nil ergo contra thesim nostram habet locus citatus eiusdem Concilii.

Ad secundum. S. Doctor Alphonsus revera loquitur tantum de Rubricis quae Missam respiciunt, quia agit eo loco de Sacrosanto Missae Sacrificio: hinc, ex eius sententia, nil contra nos argui potest, eo quod de Rubricis, quae in aliis liturgicis libris habentur, nil dixit, quia subiecta materia id non postulabat.

Probandi potius non sunt scriptores, inter quos Ephemeris Ecclesiastica, qui ex hoc loco sancti Doctoris ita argumentati sunt: S. Ligorius docet esse praeceptivas tantum Rubricas *intra Missam:* atqui Rubricae Breviarii, Pontificalis etc. non sunt Rubricae intra Missam; ergo non sunt praeceptivae sed tantum directivae. Quanti valeat huiusmodi argumentatio, cuique consideranti patebit.

S. Ligorius probat Rubricas in Missa esse praeceptivas, ex verbis decretoriis quae leguntur in Bulla S. Pii V, sicut et facit Ephemeris Ecclesiastica, ideoque si ex professo pertractasset de aliis libris liturgicis, eamdem ob causam ex Bullis a nobis citatis idem consequens deduxisset.

Ad tertium. Primo obtutu, obiectio a clarissimo Card. d'Annibale desumpta videtur satis gravis, nihilominus propter duo credimus illam facilis esse solutionis: 1. quidem, quia, uti apparet, E.mus vir loquitur in loco citato de *Missae Rubricis*, et minime de iis quae in aliis libris inveniuntur, et, citans S. Alphonsum, docet: "directivas esse quae tradunt ea quae ante et post Missam agenda dicendaque sunt; „ 2. autem, quia iam ipse confitetur, *non immerito omnes esse Rubricas praeceptivas*. Ergo nil facit contra nos locus citatus, imo non parum favet. Non enim nos contra sententiam communem Theologorum dividentium Rubricas in praeceptivas et non praeceptivas quid dicere volumus; sed aperte declaramus male applicatam esse hanc sententiam ab iis, qui non admittunt vim obligandi in Rubricis Breviarii et Pontificalis, eo quod sunt extra Missam.

Ad quartum. E.mus Cardinalis Vives y Tuto, laconicis sed luculentissimis verbis usus est, et ut illi est in more rem totam de Rubricis pertractavit loco citato. Longe tamen est a mente sapientissimi viri, sensum dare suae doctrinae quasi Rubricas Breviarii non sint praeceptivae, quia Missam non respiciunt. Quod res ita se habeat, duobus argumentis comprobatur: 1. Quia, quid intelligat pro Rubricis *extra Missam* aperte declarat dicens: " *ex gr. praeparatio et gratiarum actio sunt tantum directivae;* „ ergo de Missalis Rubricis, solummodo hic loquitur, distinguens inter eas quae ad Missam ipsam attinent, et quae extra Missam ante vel post ipsam sunt. 2. Quia alio loco sui optimi Theologiae compendii (*n. 493*), opportune docet: " *Episcopi... 5° tenentur visitare dioecesim, et imprimis totis viribus incumbere ut Rubricae et Decreta apostolica omnino serventur, etiam in minimis.* „ Certo certius praeclarissimus doctor sub oculis habebat S. R. C. Decretum 17 Septembris 1822, n. 2621, quod supra citavimus, et notam subiectam clariss. Gardellinii

(*decr. auth. 4, p. 225*), in qua scribit: " Quis est qui nesciat pastoralis sollicitudinis esse sedulo invigilare ut adamussim ecclesiasticae leges (*Rubricae ergo sunt leges*), quae circa ritus sacrasque caeremonias versantur rite recteque serventur; et si qui inoleverint abusus radicitus extirpentur? Id iubent Apostolicae Constitutiones praemissae tam Breviario quam Missali Romano, quam aliis ritualibus libris. „

Quod si in sententia E.mi Cardinali Vives, Episcopi tenentur incumbere ut Rubricae in genere serventur, procul dubio tenet quoque eas praeceptivas esse. Igitur non contra nostram sententiam, bene vero pro nobis stat iste eminentissimus vir, quem toto obsequio nos veneramur.

CONCLUSIO.

Nunc autem breviter videndum est an sustineri possit doctrina Ephemeridis praelaudatae, quae in citato fasciculo Septembris habet: " Damnandum non esse censemus Episcopum, qui ob aliquam rationabilem causam, omittat caeremonias liturgicas in sacra visitatione, maxime si prima non sit; *quae caeremoniae non numerantur in ulla classe praeceptivarum.* „ Claudicat autem huiusmodi ratiocinatio propter duo. 1. Dato enim, et non concesso, quod Episcopus *ob rationabilem causam* omittere possit dictas caeremonias, id certe faciet non quia *praeceptivae non sint*, sed quia iudicat in casu earum praeceptum non tenere, sicut pro omnibus legibus ecclesiasticis contingere potest, supposita *rationabili causa*. 2. Quia licet Caeremoniale Episcoporum (*lib. I, c. 2, n. 8*) dicat: " Quando Episcopus post ingressum in civitatem propriam, voluerit alias civitates vel oppida insignia suae dioecesis visitare, conveniens erit ut prima vice recipiatur cum sacra Cleri saecularis et regularis processione; „ ex hoc non sequitur, quod ritus in Pontificali praescripti pro sacra

visitatione omitti queant. Aliud enim est exceptio Episcopi solemnis, quae fit in primo ingressu in civitate episcopali et in prima visitatione alicuius oppidi insignis, cum processione utriusque cleri, aliud absolutio Defunctorum, sermo, benedictio SS. Sacramenti, etc. quibus incipitur sacra visitatio. Processio solemnis certo certius fit tantum in prima visitatione, alii ritus praedicti servari debent in unaquaque pastorali visitatione.

Doct. Petrus Piacenza.

RECENTIONES LIBRORUM

Manuale Liturgicum iuxta novissimam Rubricarum Reformationem et recentissima SS. Rituum Cong.nis Decreta, cura et studio P. Victoris ab Appeltern *Ord. Min. Capuccinorum, alumni et Iuris Canonici ac Sacrae Liturgiae lectoris.* Opus perbellum, ac primum, in genere suo, quod prodit iuri liturgico vigenti apprime conforme. Tria complectitur volumina, quorum primum de Missalis Romani, alterum de Breviarii, tertium de Ritualis Romani Rubricis agit: hoc ultimum adhuc sub praelo est.

Auctor in primo volumine de liturgia fontibusque liturgicis praemissis notionibus, scite periteque agit de omnibus quae Missas omnes spectant, seu in se spectatas, seu in loci, temporis, materiae, altaris etc. adiunctis. Verbo: omnia ac singula pertractat, quae illas respiciunt, sive earum natura, sive ritibus perpensis. Per opportunas imo Appendices hac illac insertas de reliquis functionibus agit, etiam Pontificalibus, uti de Ordinatione, de Vesperis, de consecratione Ecclesiae, de Processionibus, aliisque praecipuis anni functionibus; desinitque ad Memoriale Rituum Benedicti XIII, quocum Volumen perfectius redditum absolvitur.

Volumen alterum Rubricarum Breviarii expositionem exhibet, concisam, perspicuam exactamque ad vigentis iuris normas. Nec tantum generales sed et speciales Rubricas dicti Codicis exponit: ut divinum facientibus Opus nihil desiderandum relinquat.

Manuale itaque liturgicum, quod pro merito et veritate, duo quod attinet volumina, commendavimus, undequaque absolutum indicamus.

Aequo aliunde ordine digestum est, mira perspicuitate praeditum, notisque eruditis insuper illustratum: ut seu scientiae seu disciplinae liturgicae cultores nequeant, quin propriam in eo satisfactionem reperiant. *Editum Mechliniae, thypis Dierickx-Beke et Filiorum.*

I benefici e le glorie del Pontificato di Leone XIII. Prof. Bernasconi M. A. Pontifices Romanos facundia parique robore demonstrat bonorum omnium distributores magnificos in populos, scientiarum ingenuarumque artium patronos. Leonis Pp. XIII inde sapientiam collaudat, in quam omnibus impraesentiarum confugiendum, ut ardua problemata, Romam et orbem integrum agitantia, in commune bonum expediantur. Operis Editores *Desclée Lefebvre.*

Acta Gregorii Papae XVI, seu Constitutiones, Bullae, Litterae Apostolicae, Epistolae, auspice E.mo ac R.mo S. R. E. Cardinali Vincentio Vannutelli, recensita et digesta, cura et studio A. M. Bernasconi in Sacra Theologia et utroque iure doctore etc. Volumen III. Pars prima Canonica ordine chronologico disposita, Romae, Typografia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide. Pretium, Libell 10.

Exemplar actorum forensium, quibus inquirendum est de matrimonii nullitate ex capite impotentiae, ac de matrimonii rati et non consummati diremptione, auctore Carolo Sagnori in Romana Curia Advocato. Editio altera. Romae. Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide.

Il Matrimonio cristiano. Operetta Morale-Religiosa di Gian Francesco Zulian. Romae, e Typographia Polyglotta S. C. de Propaganda Fide. Pretium: libell. 2.

Rituale Romano Seraphicum, iussu et auctoritate R.mi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Seraphici Ministri Generalis. Ad Claras aquas (Quaracchi) prope Florentiam, e Typographia Collegii S. Bonaventurae.

De Fide Divina, libri quatuor, auctore Guilelmo Wilmers, S. I. Opus postumum, post mortem auctoris editum cura Augustini Lehmkuhl eiusdem S. I. Ratisbonae, Neo-Eboraci et Cincinnati, sumptibus et typis Friderici Pustet, S. Sedis apost. et S. Rit. Congr. Typogr. Pretium libell. 6.

Sacrae Liturgiae Praxis, iuxta Ritum Romanum in Missae celebratione, officii recitatione et Sacramentorum administratione servanda, cura et studio P. I. B. De Herdt, Canonici Eccl. Metropol. Mechliniens. Sacrae Liturgiae acad. Rom. Censoris. Tomus I complectens Rubricas Generales Missalis et Ritus servandos in celebratione Missae privatae et solemnis. Editio decima. Lovaniis. Excudebat Iosephus Van Linthout Universitatis Typographus, 1902.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE

HUIUS XV TOMI

Decreta SS. Congregationum
E S. Rituum Cong.ne.

Romana 1
Animadversiones 2
Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum 5
Declaratio circa *novas editiones* Cantus Gregoriani . . . 76
Romana 209
Dubium 210
Adnotatio . . . . . ibi
Decretum 289
Romana 291
Sancti Salvatoris in America 292
Augustana 293
Labacen. 353
Novarcen. (Newark) 417
Natcheten 418
Liverpolitana 419
Litterae Encyclicae 421
Urgellen. 489
Animadversiones 490
Mediolanen. 494
De Queretaro 496
Vicen. 553
Abulen. 554
Animadversiones 555
Mediolanen. 609
Adnotationes 610

E Sacra Congregatione Caeremonialis.

Decretum pro *Rectoribus Ecclesiarum* Urbis 565
Adnotationes 569
Decretum 611
Ad E.mos Patres Cardinales 614

E Sacra Indulgentiarum Congregatione.

Parisiensis. De sodalitatibus sub titulo *S. et Immac. Cordis Mariae pro conversione peccatorum* Archisodalitati Parisiensi aggregandis . . 79
Monasterien. De altari *privilegiato* 207
De indulgentiis pro speciali aliquo obsequio *SS. Iesu Nomini exhibendo* 350
De indulgentiis concessis iis qui *Scalam ducentem ad collem, ubi Stationes Viae Crucis erectae sunt, ascenderint* 352

Pag.

De indulgentiis pro Responsorio "*Requiem aeternam*" etc. 485
De indulgentiis *pro pio exercitio mensis Iunii* in hon. SS. Cordis Iesu 486
Indulgentiae *pro Parvo Officio SS. Cordis Iesu* 551

E Suprema Inquisitionis Congregatione.

Circa condensationem musti *pro fortificanda alcoolicitate vini* pro Missae Sacrificio adhibendi 77
De caeremonia in episcopali consecratione *facta tempore non suo* 206

E S. Congregatione Concilii.

Lisbonen. Consuetudinis in re liturgica 133
Lisbonen. Summarium quaestionum, quae S. C. C. iudicio subiectae fuerunt die 14 Decembris 1901 . . . 139

E Suprema Sancti Officii Congregatione.

Pro Superioribus Regularium 348

E S. Congregatione de Propaganda Fide.

Pro novis Regularium domibus vel Collegiis 349
De abusibus circa Missae celebrationem *durante maritimo itinere* 484

E S. Poenitentiaria.

De *epularum permixtione* ieiunii tempore 346

Pag.

Dubiorum liturgicorum solutio scientifica.

E Mandela. De observantia duorum Decretorum, quae inter se pugnare videntur 34
E Centumcellis. De modo agendi in transferendo festo Dominicae affixo, cui locus in Calendario non suppetat . 36
E Gallia. De Missa votiva solemni *pro re gravi* ordinanda diebus 14 Augusti et 7 Decembris 40
E Lingone. De separatione SS. Sociorum ab altero, *cuius Reliquia insignis habetur* 41
E Neapoli. De concursu inter festa *feriata et non feriata* 43
Ex eodem loco. De festo in eumdem diem toties transferendo quoties impeditur. 44
Ex Haiti. De concedente facultatem Missae privatae *in Nocte Nativitatis Domini* . 104
Ex Utino. De *Commemorationum* praecedentia 105
Ex Urbe. De quodam S. Rituum Congregationis responso, *quod apocryphum fortasse est* 106
Ex Hispania - Navarra. De Commemoratione persoluti officii in primis Vesperis I. classis 110
E Gallia. De duobus Decretis cohaerentibus sibi, quae cohaerere non videntur . . 173
E Sancto Michaële. De intel-

Pag.

ligentia Decreti 3041 . . 174
E Fiorentiola in Thuscia. De Titulo ac Dedicatione *Oratorii publici* eiusque iuribus 177
E Gallia. De Oratione "*Deus indulgentiarum*" an mutari in Anniversario possit . . 181
E Lingone. De discrepantia nec ne admittenda inter Calendarium *civitatis Episcopalis* et Dioecesis . . . 184
E Navarra in Hispania. De altaris portatilis execratione 243
Ex eodem loco. De quadam *Missa votiva in die Dominica* et de illius Orationibus 244
Ex Urbe. De duorum dierum octavorum concursu; quorum alter *ad festum solemnius universale* pertinet, alterum *ad solemnius festum locale* 246
E Galliis. De tempore Litanias incipiendi post Benedictionem Fontis baptismalis . 253
E Galliis. De sensu Decr. 3872 ad 2. circa *festum SS. Nominis Iesu impeditum*, et consectariis 326
Ex eodem loco. De festo Tituli impedito *non reponendo in die octava* Corporis Christi 327
Ex Utino. De officio votivo pro *festo ad libitum* . . . 328
E Galliis. De Missa parochiali officio conformi 330
Ex Hispania. De benedictionis ritu ab Archiepiscopo

Pag.

impertiendae ante Crucem suam 333
E Neapoli. Quale e duobus festis *Dolorum Deiparae et S. Crucis D. N.* esse debeat Titulus Ecclesiae 334
E Praga. De occursu inter duo festa duplicia I cl. . 336
Ex Urbe. Superior legens lectionem in choro, *an ab inferiori benedici debeat* . 382
E Gallia. De hypothetica contradictione inter Rubricam quamdam et Decretum 3667 ad 1 384
Ex Utino. De Missa celebranda in *festis translatis in Dominicam sequentem* . . . 386
E Treviris. De diebus impeditis pro Missa cantata *post acceptum nuntium* de alicuius obitu 388
Pro Regio. De Calendario in *Oratorio semipublico Monialium vota simplicia habentium*, et Ordinario subiectarum 474
Pro Sardinia aliisque locis. De *quibusdam reprobandis usibus* in functionibus sacris 475

Ad quaedam liturgica dubia Breviora responsa.

1. Pro Neapoli 48
2. Pro Panormo. 49
3. Pro America 50
4. Pro Aerio 52
5. Pro Galiiis . . . . . ibi
6. Pro Hispania 112

	Pag.
7. Pro Haiti	ibi
8. Pro Rucupis	189
9. Pro S. Michaële	190
10. Pro Florentiola in Thuscia	ibi
11. Pro Gallia	ibi
12. Pro Lingone	191
13. Pro Nola	192
14. Pro S. Michaele	259
15. Pro Asculo Satriano	260
16. Pro Budvicio Bohemorum	ibi
17. Pro Neapoli	261
18. Pro Gallia	262
19. Pro Republica Mexicana	ibi
20. Pro Albona	263
21. Pro Carthagena	ibi
22. Pro Anglia	264
23. Pro Galliis	338
24. Pro Catana	339
25. Pro Rucupis	340
26. Pro America	341
27. Pro Cork in Hibernia	ibi
28. Pro Bono-Aëre	342
29. Pro Hispania	ibi
30. Pro Utino	ibi
31. Pro Sinis	ibi
32. Pro Neapoli	343
33. Pro Arequipa in Peruvia	391
34. Pro Gallia	392
35. Pro eodem loco	ibi
36. Pro Verona	393
37. Pro Dioecesi Baionensi	ibi
38. Pro Galliis	471
39. Pro Parisiis	ibi
40. Pro Mechlinia	472
41. Pro Dioecesi S. Hippolyti in Austria	ibi
42. Pro Rucupis	ibi
43. Pro eodem loco	473
44. Pro Austria	ibi
45. Pro Nola	ibi
46. Pro Campania	ibi
47. Pro Regio	474
48. Pro Sardinia aliisque locis	475
49. Pro Catana	537
50. Pro pluribus locis	539
51. Pro Derthona	540
52. Pro Utino	ibi
53. Pro Verona	541
54. Pro Neapoli	ibi
55. Pro Fano	542
56. Pro Monte Politiano	651
57. Pro Navarra	652
58. Pro Neapoli	ibi
59. Pro Dioec. Meliaporensi	654
60. Pro Sartinara in Insubria	677
61. Pro Utino	679
62. Pro Parma	ibi
63. Pro Dioecesi Aesina	ibi
64. Pro Dioecesi Petrocoricen.	680
65. Pro Collegeville	ibi
66. Pro Colle in Thuscia	706
67. Pro Dioecesi C. in Thuscia	ibi
68. Pro Tuderto	707
69. Pro Fontanis Gallicis	ibi
70. Pro Wichen in Hollandia	709
71. Pro Sancto Michaële in Gallia	710

Expositio Novissima Rubricarum Brèviarii Romani.

Tit. X. De Translatione Festorum N. 1. Textus § 1. De origine festorum	21
§ 2. De causis translationis festorum	22

Pàg.

§ 3. De impedimentis *accidentali* et *perpetuo* festorum 24
§ 4. De festis *mobilibus* et festis *fixis* 25
§ 5. Inter festum et officium *distinctio* . . . 26
§ 6. Dies *propria*, dies *non propria* 93
§ 7. Dies *natalitia* et *quasi-natalitia* 94
§ 8. Festum *Generale* et festum *particulare* seu *proprium* 98
Continuatio 155
Continuatio 225
Continuatio 306
Advertendum . . . 368
Continuatio 373
Continuatio 437
Breve *Nullo unquam* SS. D. N. Leonis XIII 439
Decretum Generale . 509
N. 2. Textus 515
N. 3. Textus 517
N. 4. Textus 519
N. 5. Textus 520
Continuatio 590
N. 6. Textus 596
Continuatio 635
Continuatio 664
Decretum Generale super duobus festis vel officiis *eadem die occurrentibus* 670
Continuatio 696
N. 7. Textus 700

Pag.

Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum

LATINE REDDITA, NOVISSIMIS APOSTOLICAE SEDIS DECRETIS AUCTA, BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA.

Textus et Commentarium. . 28
§ I. Textus . . . . . ibi
§ II. Textus 30
§ III. Textus 31
Continuatio 100
§ IV. Textus 101
§ V. Textus 103
Continuatio 163
§ VI. Textus 168
Continuatio 237
§ VII. Textus 240
Continuatio 314
§ VIII. Textus 378
§ IX. Textus 379
Continuatio 444
§ X. Textus 522
§ XI. Textus 523
§ XII Textus . . . . ibi
Continuatio 604
Continuatio 645
Continuatio 673
§ XIII. Textus . . . 675

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Lectionibus I Nocturni 7
II. De *Genuflexionibus* Sacrorum Ministrorum ad Missam et Vesperas 81
III. De *Paramentorum colore* in aliquibus S. Liturgiae actibus 145

Pag.

IV. De *quibusdam signis agendis vel non* a Sacris Ministris in solemniori Missa . 212
V. De *Alleluia* in fine quarumdam precum et versuum 294
VI. De die octava occurrente *infra aliam octavam privilegiatam* 357
VII. De *quibusdam peculiaribus ritibus ad Communionem* in Missis Natalis Domini . 423
VIII. De festo solemniori impedito et *in suam octavam diem* reposito 500
IX. De dominica SS.mae Trinitatis 577
X. De sodalibus Confraternitatum in choro 621
XI. De Orationibus in Missis de *Requie* 655
XII. De Missa in Triduo *Beatificationis* vel *Canonizationis* Octiduo 687

Quaestiones solvendae Sociis pro singulis mensibus propositae, earumque solutiones.

1. De hymnorum Doxologia 278
2. De *Cereo Paschali* . . . 407
3. De Invitatorio, ritu duplici, et Psalmis *Lauda* et *De profundis* in defunctorum officio 478
4. Utrum Episcopo Ordinario praesente in Choro *debeantur Clero consuetae reverentiae* 543

Pag.

5. De *paramentorum colore* in celebrandis Missis *Sanctuariis a fidelibus oblatis* . . 681

Argumenta varia.

De festis aliquibus *diebus mobilibus* celebrandis. Consultatio 53
Quaestio canonico-liturgica circa *sepulturam ecclesiasticam denegandam* et *vexilla* in Ecclesiis. 58
Specimen Calendarii Universalis Ecclesiae pro anno Domini 1903 114
De *Paschali Praeconio*. Sermo R.mi P. Augustini Latis O. S. B. Cong. Cassinensis 123
De *cera apum in sacris functionibus*. Responsio ad animadversiones in contrarium 194
Quaestio liturgica. Num Sacerdotum cadavera *licite a Sacerdotibus* ad sepulchrum deferri possint. 265
Consultatio liturgica. Utrum impeditum *festum habens octavam celebrari possit in die sua octava*, etiamsi occurrat aliud festum classicum, aut Dominica II classis aut alia dies octava . . . 270
De *Nova Lunula* pro grandiori Hostia 284
Recensio operum, quae ad Directionem data sunt . . . 286
De indulgentia *Altaris privilegiati an separari possit ab applicatione Sacrificii* . . . 320

Pag.

Declaratio super sensu Decreti generalis de *Oratoriis semipublicis* 343
Super Concurrentia *duorum dierum octavorum* quorum alter ad *solemnius universale*, alter ad festum *solemnius locale* pertinet . . . 395
Consultatio liturgica. De Benedictione cum SS.mo Sacramento 400
Censura liturgica. De iure Vicarii Capitularis *concedendi usum throni* 405
De Festo SS. Cordis Iesu *ubi celebratur cum octava*. Utrum dies octava *secundaria* cedat duplici minori *primario* . 449
De Communione Fidelium Feria VI in Parasceve . . . 453
De Missae qualitate pro indulgentia Altaris privilegiati *a vivente lucranda* 458
De Calice non abstergendo *a Clerico Subdiaconi vices agente* in Missa solemni . . . 463
Declarationes ad solutionem secundi dubii in fasciculo Mensis Iunii elapsi datam circa hebdomadas mensis Octobris 467
Ad dubium IV eiusdem Fasciculi. De diebus impeditis pro Missa cantata *post acceptum nuntium* de alicuius obitu 470
Bibliographia 487
Quando defunctorum officium *ritu duplici* est celebrandum et *Oratio unica* in Missa dicenda 526
De salutatione *Dominus vobiscum* ad ℣ *Panem de caelo* post *Tantum ergo* . . . 533
Declaratio circa Missam dicendam post *Benedictionem novae Ecclesiae* 542
Instructiones e variis S. C. Caeremonialis Decretis depromptae 546
I. Instructiones pro *Cappellanis ornamentariis* extra Urbem . . . . . ibi
II. Instructiones pro *Cappellanis intimis* ad honorem . 548
III. Instructiones pro *Cubicullariis* 549
Declarationes 685
Consultatio liturgica. Utrum Missa votiva SS. Cordis Iesu *legi liceat in Dedicatione SS. Salvatoris* et Basilicarum SS. Petri et Pauli . 704
De Rubricarum obligatione ad quamdam Ephemeridem Ecclesiasticam 710
Recentiones librorum . . . 726

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC TOMO XVI CONTINENTUR

(N.B. Numerus lectorem ad paginam remittit).

A

Abbates PP. de *propriis* eorum Ecclesiis et *Pontificalium iure*, S. R. C. decretum, 419.

Abbatissa, V. *Missa votiva.*

Absolutiones pro defunctis, *mercimonium quoddam damnatur* circa absolutiones pro defunctis in quibusdam Sardiniae Ecclesiis, 475.

Adalbertus (S.) M., V. *S. Georgius.*

Adventus, V. *Dominica.*

Agnus Dei, V. *Cereus Paschalis.*

Alba suam benedictionem non amittit si, cum sit lavanda, *denticulatum textile ab ea disiungatur*, 190.

Alleluia, de Alleluia in fine *quarumdum precum et versuum*, casus, 294 — unde *origo huius vocis iubilationis*, quinam *illius usus* in sacris, maxime *tempore paschali*, in utraque Ecclesia, 296 — tempore paschali in fine *Introitus duo dicuntur Alleluia ;* et in fine *Offertorii et Communionis* additur *Alleluia ubi non habetur*, etiamsi votivae sint Missae, 302 — quod valet *et pro Missa votiva SS. Cordis Jesu*, 303 — ad antiphonam *O Sacrum convivium* et ad ℣ *Panem de caelo*, seu in communione ministranda, seu post *Tantum ergo* addendum est *Alleluia tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi, ibid.* — quid in praxi tenendum circa Alleluia ad ℣ *Ora pro nobis S. Dei Genitrix* et alios, prouti in casu, 304.

Altare, celebrari potest in altari etiamsi *in pavimento cryptae in linea recta supposita humata sint cadavera*, Decr. S. R. C., 498.

Alt.. positionis, V. *Instructio Clementina.*

Altare portatile, quaenam huius altaris pars a maiori separata *sit sufficiens ut ara erecta reputetur*, 243, 473.

Altare privilegiatum, de quadam altaris privilegiati concessione, Decretum S. C. Indulg., 207 — Sacerdos privilegium habens, etsi personale, altaris privilegiati, *non potest pro uno Sacrificium, pro altero Indulgentiam applicare*, 320 — inscriptio *Altare privilegiatum pro viris atque defunctis*, indulgentiam plenariam significat *pro viris ad modum iurisdictionis* concessam, *pro defunctis ad modum suffragii*, 324 — salvo meliori iudicio, quando altare ita est privilegiatum, ut etiam pro vivis lucrifieri possit Indulgentia plenaria cum Missa in dicto altari, *tunc Missa de viris semper esse potest*, quamvis de vivis *necessario esse non debeat*, cum *de Requie* quoque esse possit, 458.

Ambrosius (S.), V. *Semiduplex.*

Amictus, rubrica *de amictu super Rochetum induendo* non est praeceptiva, 339.

Anniversarium defunctorum, in casu legitimi impedimenti *utilius est illud anticipare quam posticipare*, 48 — Missa de anniversario *dici potest cum notis privilegiis*, dummodo eam ritus permittat, *sit posticipatum vel non* Anniversarium, 190 — Missa assignanda *in Anniversariis late sumptis*, est de Anniversario, *ibid.* — V. *Deus indulgentiarum.*

Anniversarium electionis Episcopi, V. *Regulares.*

Anniversarium electionis Summi Pontificis, *Missa de S. Petri Cathedra* aptari nequit electionis vel Coronationis Summi Pontificis anniversario, 340.

Annuntiatio B. M. V., quando huius mysterii festum in hebdomadam maiorem incidit, ad alium diem, *etiam quoad solemnitatem*, transferri potest, Decretum S. R. C., 293.

Archiepiscopus, V. *Benedictio.*

Aspersio aquae benedictae, diebus dominicis *Chori aspersio per contactum* sustinenda non est, 499 — Oratio ante altare *ab eo dicenda est qui aspersionem fecit, ibid.* — Celebrans et Ministri, qui *aspersionis tempore in Sacristia sistunt*, ut in casu, aspergendi non sunt, sed *ad Ecclesiae ingressum aquam lustralem accipiant, ibid.*

B

Baldachinum, V. *Instructio Clementina.*

Barnaba (S.) Ap., si eius festum in diem 23 Iunii transfertur, et illius *Secreta* eadem est ac vigiliae S. Ioannis Baptistae, *Secreta pro Apostolo mutetur in illam S. Mathiae Apostoli*, 261.

Barnabitae, V. *Calendarium.*

Beatificatio, de Missa in *Triduo beatificationis* et *Canonizationis octiduo*, casus, 687 — in Pontificio Privilegio *aequiparantur rationes* quae valent pro *Triduo* post Beatificationem, iis quae valent pro *Octiduo* post Canonizationem, 689 — quid Missa votiva, *ibid.* — de Missis votivis *per se et per accidens*, 690 — de significatione verborum *votivi* et *praeceptivi*, 691 — Missae in Triduo et Octiduo, de quibus sermo, *votivae simul et festivae* optime dici possunt, 692 — Summus Pontifex concedit ut in Missis eadem occasione celebrandis *addentur Gloria et Credo*, *ibid.* — votivarum qualitati non officit *ius Communitatis recitandi relativum officium*, quocum Missae conveniunt, 693 — observanda quoad *relationes Missarum votivarum cum officio*, *ibid.* — principium generale pro *Praefatione* est, quod semper *dicatur magis propria Missae*, quae celebratur, 694 — ante Missam solemnem *Nona et non Tertia* dicenda est, 695.

Beda (S.), V. *Dies natalitia et quasi natalitia.*

Benedictio, Archiepiscopus in benedictione impertienda ante Crucem suam, *ad illam versus sine mitra integram benedictionem dabit*, 333.

Benedictio cum SS. Sacramento, ritus benedicendi populum cum SS. Sacramento post Vesperas, ut in casu, *omnino probandus est*, 400 — reprobatur usus *preces etiam vulgari sermone recitandi alicui Sancto directas coram SS. Sacramento exposito*, 403, 541, 709, — V. *Collectae.*

Benedictio novae Ecclesiae, quando post novae Ecclesiae benedictionem dicitur vel canitur Missa, haec de tempore vel de Sancto esse debet, 340 — reformatur haec responsio, cum Missa *de Sancto cui dicata est Ecclesia* legi debeat, 542 — V. *Cathedralis Ecclesia.*

Benedictio nuptialis, Coniugibus, qui matrimonium *intra tempus feriatum* celebrarunt, non tantum *benedictionem*, si eam deposcunt, dare debet Parochus, sed *et Missam pro sponsis celebrare in die libera*, 652.

Bernardus (S.) Abbas, V. *S. Ioachim.*

Biretum pro Canonicis quibuscumque privilegiis ditatis, *nigri coloris* esse debet, 339.

C

Cadaver, *cadavere in Ecclesia praesente*, inconveniens non creditur *Missam de festo canere*, 339 — *cadavere parvuli praesente* Missa defunctorum, etsi pro adultis fiat, *prohibetur*, 341, — V. *Altare.*

Cadavera Sacerdotum licite a *Sacerdotibus deferri* ad sepulcrum possunt, quaestio liturgica, 265.

Calendarium, Sacerdotes ritus Romani, *in Ecclesiis Ambrosiani ritus celebrantes, calendarium ritus Romani dioecesanum servent*, dummodo in diebus solemnioribus localibus *se conforment quoad colorem et Missam Calendario Ecclesiae* in qua Sacrum faciunt, Decretum S. R. C., 5 — non ita vero *si Missam Parochialem* aliqua vice in dictis Ecclesiis celebrent, *ibid.* — hoc valet etiam pro Regularibus, qui *ex gravi Constitutionum praecepto* ad Romanum ritum tenentur, *ibid.* — Calendarii specimen universalis Ecclesiae pro anno D.ni 1903, 114 — Decretum 3041 officia quaedam respiciens Clericorum Regularium Barnabitarum, qui proprium Calendarium non habent, *aliis Regularibus proprium Calendarium habentibus, applicari nequit*, 174 — de *discrepantia* nec ne admittenda inter Calendarium *civitatis Episcopalis* et *Dioecesis*, 184 — de calendario in oratorio semipublico monialium *vota simplicia habentium* et *Ordinario subiectarum*, 474 — V. *Lectiones, Regulares.*

Calix, Clericus *Subdiaconi munus* in Missa solemni fungens, vel *Celebranti assistens* in Missa cantata sine Ministris, *calicem abstergere nequit*, 463.

Camaldulenses, quando Commemoratio omnium Fratrum defunctorum die 14 Nov. celebranda, in Dominica occurit, *die* 17 *illam celebrare debent*, 541.

Campana, V. *Instructio Clementina.*

Campanulae ad Sanctus et Elevationem, V. *Instructio Clementina, Missa cantata.*

Canonizatio, V. *Beatificatio.*

Cantus Gregorianus, servatis de iure servandis *permittuntur novae editiones Cantus Gregoriani,* 76.

Cappella, omnes qui in Cappellis in navibus fixis sacrosancto Missae sacrificio adstant, *praecepto satisfaciunt, cum declaratae sint uti publicae,* decretum S. R. C., 553 — V. *Missa de Requie.*

Cappellani intimi ad honorem, de eorum privilegiis *quoad habitum* etc., 548.

Cappellani ornamentarii extra Urbem, de eorum *qualitate* et *habitu solemni* et *privato,* 546 — si ad aliquod Capitulum pertinent, in choro *vestem talarem et zonam violaceum ferre possunt* praeter insignia canonicalia, et *sedere debent in loco sibi competenti ut Capitulares,* 547 — ipsis cessat ius gaudendi titulo « *Monsignore* » et usu vestium ut supra, *in morte Pontificis, ibid.*

Capulati Fratres Minores, V. *Fratres Minores Capulati.*

Cardinales, de iuribus et honoribus *Purpuratorum Patrum* in quibusdam actibus, 611 — V. *Pontificalia.*

Cathedra S. Petri, V. *Anniversarium Electionis Summi Pontificis.*

Cathedralis Ecclesia *ex ligno constructa* benedici potest sed *non consecrari,* 292.

Cera apum, de *apum cera in sacris functionibus,* responsiones ad quasdam animadversiones, 194.

Cerei, V. *Instructio Clementina.*

Cereus paschalis, circa Cereum paschalem quaestio, 407 — licitus est usus *duorum Cereorum* ut in casu, *dummodo benedicti sint* et *quinque grana thuris in ambobus sint infixa, ibid.* — legitimum est *non renovare quotannis unum et alterum Cereum,* 409 — nihil obstat quominus Cereus *iam benedictus,* iterum et *in unoquoque anno benedici possit,* licet consumptus quoad minorem partem et *giunta* dumtaxat renovetur, 410 — licitum est, expleta fontis benedictione in Sabbato Pentecostes, *reliquias Cerei et Thuris grana servare,* ut devotionis causa fidelibus distribuantur, 412 — non licet expleta benedictione fontis in Vigilia Pentecostes *Cereum paschalem accensum relinquere prope Altare SS. Sacramenti* ut plus

minusve consumetur, *ibid.* — *contraria sententia* exponitur in nota, 415 — non licet cereum adornare *quinque ligneis pineis plus minusve auro et argento obductis*, quae *locum teneant granorum incensi*, 413 — minus placet granorum introductio in minorem Cereum, *mediante ipsa theca in qua singula includuntur*, 414 — duo Cerei *unico ritu benedici posse videtur* quoad *validitatem*, non ita quoad *liceitatem*, *ibid.* — V. *Paschale Praeconium*.

Ceroferarii, V. *Consuetudines in re liturgica*.

Ciborium, V. *Instructio Clementina*.

Classis in ritibus, V. *S. Ioachim*, *Translatio festorum*.

Claviger, V. *Consuetudines in re liturgica*.

Clementina Instructio, V. *Instructio Clementina*.

Clericus, V. *Calix*.

Coemeterium, V. *Missa de Requie*.

Collectae ab Ordinario imperatae in Benedictione cum SS. Sacramento *dicendae sunt post Orationes, quae subsequuntur preces* ad B. M. V. vel ad Sanctos, 709 — V. *Regulares*.

Color paramentorum, de paramentorum colore, casus, 145 — colorum *varietas* in sacris paramentis, quam S. Ecclesia pro Missae Sacrificio ceterisque ecclesiasticis functionibus praecipit, tum *ipsorum munerum decori*, tum *mysticis significationibus* est tribuenda, 147 — in praesenti Ecclesiae disciplina liturgica, *paramentorum colores sunt quinque*, 148 — horum colorum usus *praeceptivus est*, *ibid.* — color in Sacris Ordinationibus adhibendus ab Ordinandis *similis sit colori ipsius Celebrantis in Missa, nisi aliud postulet necessitas*, 149 — quid de Gandino prout in casu, 151 — color *stolae* extra Missam pro administratione Communionis *conveniat cum colore officii*, vel *albus* sit, *ibid.* — vigilia quid, 152 — vigiliarum distinctio, 153 — in vigiliis cum ieiunio *color sacrarum vestium est violaceus* iuxta Missalis rubricam, exceptis vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes, in Vigiliis *absque ieiunio* color *solemnitatem sequitur*, *ibid.* — in Missa de vigilia Immaculatae Conceptionis *adhibendus est color violaceus*, *ibid.* — paramentis caerulei coloris Hispani tantum utantur in Missis *festi Imm. Conceptionis* et in *Missis votivis eiusdem*, quando permittuntur, Decr. S. R. C., 210 — V. *Velum humerale*.

Commemoratio, de commemorationum *praecedentia*, 105 — de commemoratione *persoluti officii* in primis Vesperis I classis, 110 — Crucis Commemoratio locum non habet in officiis *de Sacramento* et *de SS. Christi Corde*, 259 — V. *Duplex, Evangelium Dominicae, Familia Sacra, Regulares, Translatio festorum, Versus.*

Commemoratio Defunctorum, V. *Camaldulenses.*

